4

CHRISTOPHORI

BESOLDI

J. C.

SYNOPSIS POLITICÆ Doctrinæ.

Editiò quinta, prioribus multò auctior.

AMSTELODAMI,

Apud JODOCUM JANSSONIUM.

Anno 1643.

ILLVSTRISSIMO

DOMINO COMITI,

DOMINO

CAROLO CENTV-RIONI, &c.

S. & O.

ANni jam multi ſunt, cum in Academia Tubingenſi, publicæ Diſputationis loco propoſui Synopſin quandam Politicæ Doctrinæ; ex variis, latioribusque meis commentariis Iuridico - Politicis, depromptam: eandémque poſteà, prælo Argentoratenſi, ſemel atque iterum (& ſemper quidem cum aliqua acceſſione) repetitam; in uſu habui, ad erudiendum tàm publicis, quàm domeſticis inſtitutionibus, omnium ordinum Iuvenes, atque Adoleſcentes: quorum tum ſatis numeroſa copia ibi verſabatur. Cumque poſt nuperum, ad hancce Academiam Catholicam ſeceſſum, Viri-Iuvenes pariter nonnulli (Generis ſplendore, inge-

niique indole præstantes) sibi persuaderent, se quoque mea opera qualicunque, augeri posse, scientia civili; placuit & hîc persequi vestigia illa, quibus non sine multorum fructu, institi Tubingæ. At vero exemplaribus priorum editionum deficientibus planè, & quia itidem multiplici correctione ea indigebant; dictandi autem, excipiendique molestia, moram non exiguam progressui optato inferebat: visum est subsidio Typorum, studium hocce meum, maturare non solum; sed & cum pluribus adhuc, communicare. Idque ut facerem sub præscriptione Illustrissimi Nominis Tui, caussæ me permoverunt complures. Sanè cum inclyta Respublica Genevensis, Patria illa Tua, inter paucas Orbis Civitates, etiam nunc absoluta fruatur Libertate; ac nempè suo Iure, suisque Civibus Nobilioribus ad Reipublicæ gubernacula sedentibus, satis feliciter hactenus fuerit administrata; & pariter in Familiis, tantæ dignitatis capaces, quæ sunt, & Tua inprimis nominetur. Vix conveniebat, pagellas hasce (imaginem Civilis eruditionis, primis saltem lineis adumbratam referentes.) Alteri, quàm qui tali Instructione, præ cæteris maximè opus haberet, proprias dicare. Memorat equidem alicubi (*Hist. lib.* 10.) F. Guicciardinus; *Liberas Civitates*, DEO *summopere placere; eò quòd in iis, magis quàm in alio genere Rerumpublicarum commune bonum conservetur, Ius suum cuique æqualiter distribuatur, Civium animi vehemen-*

tius

tius ad virtutem, & laudem accendantur RELIGIO *colatur, Sacra peragantur.* Sed tamen haud aliter, ac inter Musica Instrumenta, jucunditate ac dulciculo sono, cuncta ferè reliqua, superat canora Chelys: at non illa addiscitur sine labore, nec comprehenditur sine difficultate; ac si vel unus ex fidibus dissonet nervus, gratia mox omnis abest. Eodem planè modo, præstans illa atque suavissima Politica Libertas, caro sæpe sanguine parta, non nisi Reipublicæ gerendæ dexteritate singulari, sarta tecta conservatur; facilè quoque ab ambitiosis, atque temerariis turbatur; & turbata, in licentiam vel tyrannidem, omnia involventem transit: nec nisi ab Optimatibus, Civili prudentia præclaris, & Virgula Divina (quod ajunt) deductis, Boniq́ue Publici perquam Studiosis, erigi potest. Et ut tales se præstiterunt, difficillimis quandoque temporibus, vel Maiores Tui, vel Agnati: ita Talem (sic voveo, & ominor) Te aliquando futurum spero, & quoque jam confido. Ob Pietatem scilicet, quam sine hypocrisi colis, ob amorem Patriæ, (quam Tibi vita chariorem scio) ob Humanitatem etiam, quam salva generis eminentia, tribuis cunctis: tum quoque, ob jam in Juvenili ætate (raro Exemplo) perceptam Politices cognitionem: cui non solum Mathematicam Practicam (Politices, artisque Militaris egregium adjumentum) nuper adjunxisti: sed & omnibus hisce, Philosophica studia (quibus Facultates superiores, tanquam fundamen-

to ſtabili innituntur) præmiſiſti. Volui porro, illa Illuſtriſſimi Tui Nominis mentione, publicum hîc ponere debitæ Gratitudinis documentum; ob ſingularem, quo me perſequeris affectum: quemque non niſi litterario munere, reponere queo. Volui denique ſcopum Politices à me præpoſitæ, denuo Tibi in memoriam redigere, & jugiter, cum vel abſens ero, cohortari; ut Primo, ſerium Catholicæ Religionis cultum, negligas nunquam (eò enim ſi non omnia Politica tendunt, ut illa vel promoveatur, vel non impediatur, Atheiſmo prona ſternitur via; quæ ad interitum, ſi non temporalem, at certè æternum ducit) Alterum, & proximum ab hoc eſſe videtur, ut commodum, vel affectus privatos, nunquam poſtponas Publicæ Saluti. Hæc namque Monita bina, quod non neglexerunt Optimi quique; in cauſa id fuiſſe videtur, ut adhuc, Genua inter alias eniteat Italiæ Civitates. Eaque ut ſic vigeat, atque floreſcat ſemper, & in ea (unà Tecum) Illuſtriſſima Familia Tua, cupit, atque optat.

Illuſtriſs. Dominationis Tuæ,

Obſequentiſſimus

CHRISTOPHORUS BESOLDUS, J. C. S. Cæſar. Majeſt. ut & Sereniſs. Bavariæ Electoris Conſiliarius, in Acad. Ingolſtadienſi Cod. & Juris Publ. Profeſſor.

SYNO-

SYNOPSEOS

DOCTRINÆ POLITICÆ, præcognita:

UBI POLITIÆ, POLITICESQVE PRINCIPIA proponuntur.

1 CUm de Republica, & ea, quæ circa illam verſatur diſciplina, nobis ſit diſſertatio inſtituta; non hoc ritè fiere poſſe videtur, niſi utriuſque principia altius repetantur. Principium namque, dicente Platone, *lib. 6. de legib. in princ.* plus quàm dimidium totius; & qui bene cœpit, non dimidium tantùm; ſed totum etiam, & omne verum, quodammodo complexus eſſe videtur. *Piccolom. Eth. gradu* 2. *cap.* 1.

2. Originem ergo civilis conſociationis, ejusque adminiſtrationis, & gubernationis; Imperii jtem & ſubjectionis neceſſiatem, ex ipſius Naturæ incunabulis evolvam: inprimis etiam, anne,

anne, & quemnam locum inter alias Philoſophiæ partes, Politica obtineat doctrina? indagabo.

3. Omnium autem diſciplinarum, complexum quendam, veteres ſtatuerunt; easque inter ſe invicem, talem communionem habere reputaverunt, ut ferè nulla perfectè ſciri queat, niſi ſimul omnium aliqualis ſaltem cognitio adſit.

4. Hicque eſt decantatus ille diſciplinarum circulus, ſeu orbis, quem *Encyclopædiam* vulgo vocant: quæque methodicam, & talem, ſingularum artium atque ſcientiarum proponit inſtitutionem, ut unius cognitio, ad aliam pariter viam ſternere, ac ad doctrinæ perfectionem, junctim omnes requiri videantur. In eaque Encyclica diſciplina, priſci olim cuncti, qui adhuc hodie magni, & eruditi habentur, inſtituti fuere. *R. P. Ludov. Creſollius, è Soc. Ieſu, in theatro Rhetor lib.* 4. *cap.* 5. *Iohan. VVovver. de Polymathia paſſim.* Jul. Bell. *in Hermet. Polit fol.* 115. ubi ait: Nos avidum prudentiæ Politicæ, ad apicem doctrinæ, & Encyclopædiam hortamur: non ambigentes, totam ſapientiam ex ſeipſo, humano intellectui parabilem eſſe, &c. Quo & intuitu, Ulpian. *in l.* 10. *ff de juſt. & jur.* Iuriſprudentiam, Divinarum atque humanarum rerum notitiam vocat: Italique vulgari proverbio dicunt, *Merum Ligiſtam, merum aſinum* eſſe.

5. Sed nunc, quemnam in illo circulo, ſeu orbe eruditionis, locum obtineat illa, de qua ſuſcepimus tractationem? ut inveniamus (id

quod

quod in cujuslibet disciplinæ traditione scire, omnino operæ pretium est) notari primo omnium debet: Omnium artium, scientiarum, atque disciplinarum Principia convenire in eo; quod nihil agitur in humana vita universa, ut non *Boni* alicujus intuitu suscipiatur. Ad id enim, quod Bonum videtur, actiones suas omnes referunt universi, ut Aristot. 1.*Eth.* 1. & 1.*Polit.*1. scribit. Nemoque *Malum*, ut malum, nisi per accidens apetit; tradente S. Thoma, 1.*part.sum.quæst.*19. *art.* 9.

6. At hic ab omnibus, multifariè erratur: dum scil. vel [1] adpetitur adparens, sed falsum bonum: vel[2] ad id quod verè tale est, recta via non itur. *Boet.*3.*prosa* 2. *& per tot. & prosa* 3.*à princ.ut &* 4. *prosa* 2. Exspectationem namque Boni, tanquam scintillam aliquam, mortalium animis insevit DEUS; inventionem vero abscondidit: ut Max. Tyrius scribit, *dissert.*9. Et ideo scire maxime refert, quodnam, & quotuplex verum Bonum existat; ac item, qua ratione, ad illud perveniatur.

7. Ipsa Bonitas (Idea nempe ineffabilis, fons & scaturigo Boni vere perennis) DEUS est: qui quippe unicus vere, & per essentiam Bonus existit: *Matth.*19. *v.*17. *Marci* 10.*v.*18. *Lucæ* 8.*v.*19. *S.Thom.part.*1.*quæst.*6.ac in quo omnia, quæ Beatitudo continere videtur, unitissimé unita inveniuntur. *latè Boet.*3. *prosa* 10. Et proinde summum hominis Bonum, ac ejusdem omni ex parte perfecta Felicitas, haud a-

 liud

liud reputari debet; quàm consortium Divinæ naturæ; 2 *Petri* 1 *v*.4. seu fruitio, & unio cum DEO. *Psal*.72. *v*.25. *& ult*.

8. Ad hocce quidem Bonum, Natura primæva, & incorrupta, Adamum olim sponte sua duxit: indeque ad Imaginem DEI, conditus is pronuntiatur, *Genes*.1. *v*.26. *& seq*. Estque Imaginis conditio talis, ut semper similis sit prototypo: haud aliter, ac umbra in speculo adparens, cunctas lineas & colores corporis sui, exactè refert.

9. At vero bonum illud, funesto Adami lapsu amissum; & inde *Mors* (tam prima scilicet, quàm secunda) præter naturam introducta; & quasi ex Pandoræ cistella, omnia mala, varii quoque defectus, tam in Intellectu, quàm voluntate, orta; universumque genus humanum, commoditatibus multis temporalibus, privatum fuit. *Genes*.3. *v*.16. *&c*. Nam certè nuditas, quam in se Adam & Eva, post peccatum deprehenderunt; *Genes*.3. *v*.7. *&* 10. non intelligenda tantummodo videtur, de carentia corporalis tegumenti; sed simul de defectu omnium subsidiorum, quibus vita humana opus habet. Sic enim Rupertus, Tuitiensis, Abbas, *lib*.3. *de Trinitate*, *cap*.10. Cum, inquit, nudos se esse cognovissent, id est, cum se honore, in quo positi erant, & conditi, spoliatos, & jumentis comparatos, sine omni protectione DEI, nudatos esse animadvertissent.

10. Omnes quidem artes, scientiæ, & disciplinæ,

plinæ, eo unicè tendunt, ut quantum fieri potest, illud iterum recuperemus, quod generi humano universo, abstulit primorum parentum casus: unde vulgo dici solet;

Theiologis animum, subjecit lapsus Adami,
Et corpus Medicis: & bona Iuridicis.

Sed tamen ad veri Boni fruitionem, mortisq; æternæ abolitionem, veribus nostris redire nequimus. Quo & intuitu proditum videtur; Cherubim, & flammeum gladium, versatilemque, custodire viam Ligni vitæ. *Gen.* 3. *v.ult.*

11. At amissum illud insigne Bonum, reparatum nobis iterum est, solummodo per meritum, seu mortem, & obedientia Filii DEI, Domini, & Salvatoris nostri unici, JESU CHRISTI. *Rom.* 5. *v.* 12. *&* 19.

12. Ac item, ex Divina revelatione, non industria ingenii humani, cognitio illa salutis, in Mundum pervenit, *Matth.* 16. *v.* 17. *Rom. ult. v.* 25. *& seq.* (quo etiam respectu S. Paulus *Rom.* 10. *vers.* 17. scribit: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum CHRISTI) Ejusque fundamenta, adhuc in Paradiso extantibus Adamo, atque Eva, monstravit Opt. Max. DEUS: dum missionem seminis Mulieris promisit, quæ suo partu contritura sit caput Serpentis. *Gen.* 3. *vers.* 15.

13. Et errant ideo pernitiosissimum errorem omnes illi, qui Adamicum lapsum, & per eum omnia mala, inprimisq; peccatum originale, ortum esse negant: aut viribus propriis, non soli

merito CHRISTI, attribuunt salutis sempiternæ restitutionem. Ut faciunt Ethnici, & Saraceni, ac (qui injuria Christianorum nomen adfectant) Pelagiani & Photiniani. S. Synod. Trident. *in decreto de Iustific.sess.6.cap.*1. ubi habetur, quod nec Iudæi, per ipsam literam Legis Moysis, inde liberari, aut resurgere potuissent.

14. Ac est quoq; inter eos, qui CHRISTUM pro unico salutis nostræ auctore habent, de meriti ejusdem applicatione, controversia sat magna, & quæ temporum nostrorum felicitatem turbat inprimis. Sola namque Fide; promeriti illius participes nos reddi, moderni sectarii plerique (Lutherani scilicet & Calvinistæ) putant. Catholici è contra, etiam opera adjungunt, & gratiam DEI, ad propia simul merita (veluti media, ad æternam beatitudinem assequendam, à DEO ordinata) in adultis necessaria esse putant: ita tamen, ut principalior sit gratia DEI, quæ per merita CHRISTI nobis communicatur; quandoquidem ab ea dependent, merita nostra, ab eaque accipiunt vim, atque efficacitatem. *R. P. Laymannus, Theolog. moral. lib.2. tract.2. cap.1 num.7.* Et sic de eo utrinque constat, sine Fide, nec opera salvifica existere, aut verè bona. Fidem item, justitiæ esse Fundamentum; & Fidem qnidem talem, quam nulla bona opera præcedunt, & ex qua omnia procedunt: ut loquitur S. Prosper *lib.3. de vita contemplativa, cap.*21. Quam etiam rem, dilucidè admodum explicat, Concil. Trident. *d. sess. 6.*

cap.

cap.4. & seq. Ut & Balthasar Hagerus, *in collat. Confess. Augustanæ, & Oecumen. Concil. Tridentini, art.4. fol.*35. *&c.* ac quoque Christophorus Majer. *in* 8. *Fidei controversiis, controvers.* 1. ubi initium salutis, non operibus, sed Fidei & gratiæ Agni adscribit: consummationem vero ejusdem, ex dilectione & ejus operibus, æterna mercede coronandis esse ait; CHRISTUMq́; in Salvantem, & Iudicem distinguit.

15. Porro vero, ut sectarii, hæc omnia, cum maximè urgentur, negare vix audent; ita Catholicis, cum iisdem, lis maxima est in eo. Dum illi vere, & proprie inhærentem justitiam agnoscunt; eaq́ue nos formaliter fieri justos tradunt; Hi tantum, imputari nobis æternam CHRISTI justitiam, autumant, Vnde Calvinus, *in Antidoto Concil. Trident. sess.6. ad cap.*8. falsum esse contendit, ullam justitiæ partem, in qualitate, vel habitu, qui in nobis resideat, sitam esse. Quod figmentum satis refutat R. P. Martinus Becanus, *in manuali controvers. lib.*1. *cap.*16. *q.*1. 2. & 3. ut & Balth. Hager. *supra d. loc.* §. 5.

16. Sed ut sublime illud, ac spirituale Bonum (quodq́; in hac lacrumarum valle tantum incipit, ac in fidelibus aliqua ex parte quotidie reparatur; *S. Thom.* 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 3. & in futura demum gloria, omnibus suis numeris consummabitur: *Matth.* 22. *v.* 30. *Philippens.* 3. *v.* 1.) quæque ad id proprie spectant, *Theologiæ* constituunt objectum. Ita adhuc aliud, multo tamen inferius est Bonum; in vita animali, & temporali

porali commodè degenda consistens: circa quod *Philosophia*, aliæque hnmanæ adinventiones occupantur. Ratio namque humana; quamvis Mortem æternam non potuerit amovere: paulatim tamē media excogitavit, quibus animę facultates, aliquantùm restaurarentur. Invenit item subsidia alia multa, quibus vita secularis instrueretur; & nuditas illa, ac indigentia, per lapsum inducta, ex parte contegeretur.

17. Philosophia ergo, quantum in hac vita fieri, potest, animæ ignorantiam restituit: dum nempe præcepta tradit, quomodo non solum intellectus instruatur; sed & voluntas intra limites honestatis coerceatur, & prudentia conversationis acquiratur; simul & ratio, & discursus humanus informentur.

18. Et quidem *Logica* (quæ organon scientiarum, & manus Philosophiæ vulgo indigitatur) ut & similia alia Rationis instrumenta, ratiocinandi, differendique facultatem juvant: ac scientiis atque disiplinis omnibus, amdiniculantur. *Iohan. Talentonius, in thesaur. var rer. 3. cap. 6. & 7.* Intellectus vero perfectionem intendit, eumve occupat in primis *Theoretica* (seu contemplativa) *Philosophia*; per *Physicam, Metaphysicam, & Mathesin.* Tandemque *Philosophia* Ethica, seu moralis (quæ *Practica* vulgo dici solet) voluntatem instruit; per *Ethicam* (ita in specie dictam) *Oecumenicam* & *Politicam* disciplinam.

19. Quod vero attinet alias disciplinas, artes,

tes, atque professiones, quæ corporis principaliter intendunt curam (ut est Chirurgica, *Medicina, &c.*) at pariter aliæ quàm plures, quæ Bona respiciunt externa, vitæque sustentationem (ut est *Iurisprudentia*, Mechanica, ars Militaris, &c.) ut & *artificia* viliora; illa, vel suprà dictis partibus *Philosophiæ* subordinantur, vel ex Physica ferè & Mathesi, (tanquam ex abundanti scaturigine) deducuntur. Et item cunctæ, Intellectum partim; partim principaliter occupant Voluntatem. Largitæ etenim nobis sunt à DEO, duæ modò dictæ facultates, ut & corpus atque fortunas nostras tueantur, corporalemque occupationem ubique juvent. Et sic in generale suprà posita Philosophiæ divisione; magis consideratur, quis agat, quàm circa quid versetur.

20. At ut ad Practicam Philosophiam, tanquam scopo nostro propiorem, redeamus; sciendum est, quod *Ethica specialis*, erudiat hominis voluntatem, nullo habito respectu, ad ullum aliquem definitum vitæ statum: sed quatenus homo, civis quidam est Mundanus. Quales multi ex priscis Philosophis fuerunt; qui nec boni Oeconomi (ut Socrate) neque Politici prudentes (ut Diogenes) verùm cives tantùm erant Mundi.

21. Domesticum statum instruit *Oeconomia*; moresque format, quatenus id ad domesticam administrationem; necessarium est. Non enim sufficit scire generalem in Mundo conversandi

tatio-

rationem; sed & insuper requiritur, ut noscamus Domum gubernare: quod sane suas speciales habet rationes, Ethicæ subrogatas.

22. Verùm nec Ethice & Oeconomice, ad hominis voluntatem informandam, sufficientes reputantur: sed quia homo sui natura, animal maxime sociale, seu civile, eoque fine conditus esse videtur, ut in cœtu aliorum vivat, ac ut charitatem (quam statim, ac in hanc vitam intravit, expertus est) vicissim aliis impertiatur: merito proinde Philosophus, civilem communionem (quam vulgo *Civitatem* vocant; eò, quod plurimorum consciscat, & in unum cogat vitas) rectè quoque instituere, cunctisq; in populo, intuitu cohabitationis (quatenus nempe subditi sunt, vel Magistratum gerunt; aut etiam consilio, aliaque ratione civilem societatem juvant; vel saltem hisce de rebus dextre judicant) præcepta dare debet.

23. Sane non omnis Vir bonus (qualem Ethice format) vel industrius Paterfamilias, statim quoque fit bonus Civis, multo minus politicus bonus; ut nec omnis, qui se, domumque suam regere potest, bonus est miles, bonusque equiso: sed quædam etiam singularis dexteritas requiritur, in Reipublicæ administratione; quæ Virum quoque optimum, Oeconomumve prudentem, latere potest. Et debet bonus Civis, non Naturæ solum, sed & Civitatis suæ leges cognitas habere, iisque obedire. *vide Piccolom, Ethic. grad.* 10. *cap.* 2. *Carnin. in Turri Babylon.*

lon cap. 12. *& cap.* 16. *ac.* 17. *Eduard. VVestonum, in theatro vitæ civil. & sacræ,* 3. *cap.* 7.

24. Porro Civitatem instituere, vel etiam quomodo ea ritè gubernari debeat, qui discere velit; is scire ante omnia necesse habet, quæ sint illius causæ, inprimis autem finalis. Tum media quoque ad illum finem quæ ducunt?

25. At causa efficiens, & quidem interna, Civilis societatis; ipsa Natura, seu recta ratio, existit: eaq; ideo Societas, juri gentium primævo, meritò adscribit solet. *l.* 2. *ff. de justit. & jure.* Homo enim ita natus, & comparatus est, ut vivat in Civili conversatione, seu cœtu aliquo communi. Unde Aristot. 1. *Polit. cap.* 2. cum omni ape, omnique animante gregali, civilius & urbanius animal: & qui non fortuna, sed natura alienus est à Civitate, aut qui in societate esse nequit, aut nihilo indiget propter copiam; illum aut improbum, aut homine præstantiorem, bestiam nimirum aut DEUM esse scribit. Ut ita ridiculi videantur Diod Sicul. 1. *num.* 8. Thucyd. *lib.* 1. *ab init.* Vitruv. *lib.* 2. & alii, qui affirmant; homines primum more ferarum, vitam degisse in sylvis, & montibus oberrasse, donec à quibusdam, in cœtum civilem inducerentur. *Eminentiss. Card. Bellarm. de Laicis. c.* 5. *Pet. Greg. Tholos.* 1. *de Rep. c.* 2.

26. Externa efficiens causa, sunt illi, qui Imperia condiderunt: ut Nimrod, Cyrus, Alexander Magnus, Romulus, Iulius Cæsar, &c. Sed inprimis providentia Divina: quæ (cum non possit

poſſit totus Mundus, nna Civitas eſſe) populos variè dividit, atq; ſe jungit : Imperia etiam conſtituit, ac conſervat, & demum propter peccata evertit. *Deut.32.v.8.& 9.R.P.Adam.Contzen 1.polit cap.5. & multis ſeqq.* Unde etiam quilibet Populus, ſeu Imperium ſingularem ſuum Angelum Tutelarem, dicitur habere. *Dan. c.10. & ibi S. Hieron. in comment. & ad cap.28. Eze. S.Thom. 1.quæſt.1.3. art.8. Theophil.Raynaud. in Theol.natural. diſtinct.3. num.126. &c. Pererius ad cap.14. Geneſ.fol.517. Becanus ſcholaſt.Theol. tom.part.1.tract.3. de Angelis.cap.6. fol.m.388. &c. Eugubin. Steuchus de perenne Philoſoph.8. cap.9. Ego diſcurſ.de Rep.curanda, cap 3.*

27. Societatis vero civilis cauſa materialis eſt; Populi ad ſui defenſionem ſufficiens multitudo. Non tamen hîc latifundia, perſonas aut mœnia conſideramus, ſed civiũ omniũ cœtũ, juris conſenſu & utilitatis communione unitum, atq; ſecuratũ. *S. Aug. de civ. Dei lib.*19 & 21. Et ita quẽadmodum Elephas, non magis animal eſt, quàm muſca : ſic & Imperium, verbi gratia, Hiſpanorum, non magis civitatis, aut Reipublicæ meretur nomen ; quam Raguſa (quæ Urbs ſatis exigua eſt, in Albaniæ littore conſtructa) aut in Helvetia illi Pagi, qui ſuperiorem non recognoſcunt, & nec mœnibus cincti exiſtunt. *Paſchal. de legat.* 1. *à princ. Bodin.1.de Repub.c.2.*

28. Vivunt autem homines, in ſocietate civili ; non ſolum ut magis commodè, in tali unione tranſigant vitam : ſed &, ut ſimul viventes,

tes, honeſtatem, aliasque virtutes morales, facilius exercere queant.

29. Et ita communio civilis, *duos fines* habet: [1] ᾧ, ſive cui; *publicam nempe ſalutem*, 3. *Polit.* 4. (cujus ratione, ſingula civitatis membra, ita ſe curare debent, ut ſemper reſpiciant ad totum.) Et [2] οὗ, ſive cujus; *publicam* nimirùm *honeſtatem*: quæ eò intendit, ut Juſtitia univerſalis, ſeu omnium virtutum chorus, in civitatem introducatur; & ut ſcandala, & alia vitia, prohibeantur, impediantur, atque puniantur. 1. *Polit.* 2. *&* *lib.* 2. *cap.* 4 *ac.* 6. Ex hiſque αὐτάρκεια provenit plerumque, ſeu abundantia omnium rerum. *Thom. Bozius, de ruin. gent. per diſcurſ. R. P. Adam. Contzen* 2. *polit cap.* 12. Politica item εὐταξία, pax publica, at tranquillitas interna, decenſque in ſtatu politico honor. *Hillig. ad Donell.* 2. *com. cap.* 1. *lit. A.*

30. Licet vero ea rerum copia haut adſit (ſi puta hoſtis potens, vel aliud publicum ingruat malum) felix ſeu beata nihilominus Civitas eſt cenſenda, illos modo dictos duos fines, ſi Cives aſſequi conentur: ut de Numantia, in ipſo etiam exidio pronunciavit Florus *lib.* 2. *cap.* 8. Ferè item ſemper, poſt calamitates etiam magnas, lætus ſubſequitur eventus, ubi ſtudium commodi publici, honeſtatiſque non languet.

31. Juncti autem debent eſſe illi fines: nec ſufficit publicum commodum procurari; ſed & inſuper eſt neceſſe, ut honeſtas minimè negligatur. Ac proinde barbaræ illæ nationes haben-

bentur, ubi etiam contra leges honestatis, publicum commodum promovetur; quod in Turcia & alibi etiam fit: & talia ideo Imperia, nec vicini, neque item Cives, nisi plane servilis ingenii existant, ferre queunt. Ac audire hac de re juvat, servum sapientem; qui ita apud Plautum ait:

Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visum'st oppidum?
Si incolæ bene sunt morati, pulchrè munitum arbitror.
Perfidia, & peculatus, ex urbe, & avaritia si exulant:
Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum perjurium. S. Euge. P. octava indiligentia.
Nona injuria, decimum, quod pessimum aggressu scelus,
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.

52. Indeque in errore quoque magno versantur illi, qui bellicam potentiam, aut magnitudinem Imperii, pro fine civitatis habent. *Aristoteles 7. politicor. cap. 14. & sequent. Isocrates orat. contra Lacedæm. Paruta 1. Discors. 1. fol. 23.* Aut etiam cum Machiavello, omnia æstimant ex commodo status, statumque instar Idoli colunt; & ex ratione status, veram faciunt Idololatriam. Cum tamen, quicquid in Civitate geritur, quicquid deliberationis atq; consilii suscipitur, id solùm virtutis & honestatis gratia

gratia fieri, ad hancque aliarum rerum usus, commoditatesque & oppurtunitates, & ipsa etiam salus publica, per se & primò dirigi debeat. *Dn. Contzen. 2. polit. cap. 3. & seqq. Christoph. Obemius de princ. jur. lib 5. cap. 1. & cap. 6.*

33. Cum autem in practica vita, Civitatem practicam, nos deceat consectari, & ad practicum directam finem: patescit exinde, in limine offendere Bodinum, 1. *de Republ. cap.* 1. aut sublimiter nimis loqui, & quasi transcendere de genere in genus; Civitatis qui finem in pulcherrima, suavissimaque divinarum atque humanarum rerum constituit contemplatione.

34. Sed anne Religio civilis Consociationis est finis? Hoc sanè censent Theologi ferè omnes, qui Politica tractant. Inprimis PP. Societ. IESU, putà Mariana, Rossæus, Ribadeneira, *in Institut Princip.* ac alii, ut Bozzius, *de ruin. gent. lib.* 1. Illudque dogma, invidiosè traducunt, à Romano Catholica Ecclesia alieni: quasi eo ipso, hoc innuere velint Sancti illi Patres; quod hæretici Principes cuncti, sint Solio deturbandi, clamve ac palàm, ferro vel veneno, à quolibet privato, è medio tollendi, iive populi, quos Pontifex Romanus, perperam de Religione sentire judicat, nulla habita ullarum pactionum, ac fœderum ratione sint debellandi: ut inepte colligit Keckerman. *in præcognit polit. fol.* 24.

35. Veruntamen primò hoc est sciendum; non deneganda esse gentium jura, tam antiquis

Popu-

Populis, quàm modernis, ex eo solo, quod erroneum DEI cultum habent. Quo intuitu etiam Card. Bellarm. 5. *Pontif. Rom. cap.* 3. scribit: CHRISTUM non abstulisse Regna iis, quorum erant; non enim venisse eum, ut destrueret illa, qua bene se habebant, sed ut perficeret. Ac ita nihilominus (vel ipso Salvatoris nostri scitu, *Matth. cap.* 22 *v.* 21. *&c.*) nomen & jura Civitatis habebat omnino, etiam Idololatrica Roma, ac quoq; cum Religio ibi, vel ignorabatur, vel opprimebatur.

36. Sed tamen, [2] Civitas Christiana, unicè illuc tendit, ut Ecclesia S. Catholica foveatur. & nutriatur; utque in civitate, in omni castitate & pietate (quæ scilicet veram docet, & implantat honestatem) vivamus. 1 *Timoth.* 2. *v.* 2. Quod quidem non ita est intelligendum, quasi introducendæ, conservandæ, aut etiam reformandæ Religionis, & veræ fidei ac pietatis media, ratio civilis suppeditaret: sic qui cura Divini cultus, propriè ad Imperium spectaret: ut inter Hæreticos plærique politici censent, qui vel Principes capita Ecclesiarum faciunt, vel judicium de Religione, Aulæ, vel Magistratui Politico adscribunt; & ita Ecclesiam, ejusque Imperium Hierarchicum, non satis à Civitate, civilique potestate distinguunt. *Dominus Contzen* 1. *politic. cap.* 16 *&c.* Religio vera, perficit magisque illustrat civitatem: sed tamen, si quis accuratè rem perpendat, hominis magis, quàm Civitatis finem esse Religionem, fateri cogetur.

Civitas

Civitas etenim qua talis, finem suum assequetur, si vera Religio, domicilium tutum, inibi habere; & civilis cœtus, ad sublimius aliquod bonum, quàm quod humana prudētia suggerit, per verbum Divini annunciationem, SS. Sacramentorum distributionem, ac si quæ alia, ad solos Ecclesiasticos pertinent, tranquillè duci queat.

37. Unicum tandem medium, seu causa instrumentalis, qua procurante, prædicti illi societatis humanæ fines acquiruntur, ad illosque pervenitur; & ita formalis causa, ac anima quasi Civitatis, politicique corporis, est πολιτεία, hoc est, *Respublica*, aut administratio civilis, sive legitima ratio imperandi & parendi. Quam in rem Diviné Isocrates *in Areopagit.* Est anima Civitatis nihil aliud, quàm administratio illius; quæ non minore, quàm in corpore, anima effectus, producit. Videlicet hæc est, quæ de omnibus consulit; simul conservans profectum, simul nocivum devitans, Huic oportet & Leges, & Oratores, & privatos homines esse similes; & sic unumquemque agere, prout illam sit nactus. Hac depravata, nos nihil habemus pensi, nec solliciti sumus, quemadmodum redintegretur. Civilis hæcce administratio (ut ait Seneca) spiritus ille vitalis est, quem tot millia trahunt; nihil ipsa perse futura, nisi onus & præda, mens illa si subtrahatur. *Lib. 1. de Clementia cap. 4.*

38. Quod enim Anima habentibus vitam, hoc

hoc idem inanimatis præſtat Harmonia; in corpore verò politico, ſeu Civitate, efficit recta adminiſtratio, & Concordia omnium illius membrorum.

39. Cùm autem Reſpublica, ſeu politia, hoc eſt, harmonica illa concordia Civitatis; conſiſtat in Imperii, & ſubjectionis recta ordinatione: exinde confectarium hocce deducitur ritè; Regere, atque & ſubjici, Naturæ humanæ, tum & Divino, in ſacris Literis revelatio juri, conſentaneum omnino eſſe. *1. polit. cap. 5. Bellarm. de Laicis, c. 5. Molina de juſt. & jur. tract. 2. diſt. 26. & ſeq.*

40. Adeo ut in ſtatu primævo, ſeu Innocentiæ quem vocant; futura etiam fuiſſet Reipublicæ quædam forma: eò ſaltem directa, ut tranſgreſſionem inhiberet. *S. Thom. 1. quæſt. 96. art. 3. & ſeq. Bellarm. de Laic. cap. 7. Ego in præcognit. Polit. cap. 6.*

41. Et ideò etiam poſt lapſum, imperandi & parendi hæcce diverſitas, apud omnes gentes, ratione utentes, peræque invenitur; & eæ, cuncta per ſecula, Imperium quoddam agnoverunt. Sic & in Indiæ occidentalis, ſuperiori ſeculo primùm perveſtigatæ regiones, nihil ferè nobiſcum, niſi aliquam Reipublicæ formam, communem habuerunt. In America namque multæ ſunt provinciæ, quæ Rege carent; & Principibus ac capitaneis, à ſemetipſis, neceſſitate aliqua exigente electis (ferè ut olim Iſraelitæ Judicibus) parent Peruanus ac Mexicanus tractus,

Reges

Reges habent; hic electione, ibi legitima successione constitutos. *Ioseph. Acosta histor. Indic.* 6.*cap.* 11. *Levin. Apollon. de reb. Peruvin. lib.* 1. *fol.m.* 36. *& seq.*

42. Cyclopica itaque est eorum vita, inter quos obligatio est nulla, ubi nullus alteri obtemperare cupit; & juxta Euripidem, *in Cyclop.*

ἀκούει δ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.

Et nihil perniciosius reputandum est ea opinione, qua quidam Imperia tollendo, aut vituperando, Anarchiam, & per eam omnium rerum confusionem inducunt; ipsa Tyrannide deteriorem. Sane præstare censetur, sub malo Principe, quàm sub nullo esse: eoque pertinet, quod de Nerva dicebatur, deterius esse sub eo Principe vivere, per quem omnia licent, quàm sub eo, per quem licet nihil. Qualibet enim confusione, melior est ordro quilibet: estque anarchia omnem contra naturam, quia contradicit harmoniæ. Unde in sacris literis, loco pessimi status refertur non semel; temporibus illis non erat Rex in Israele, quisque, quod rectum videbatur in oculis suis, faciebat, *Iud.* 17.*v.*6.*cap.*19. *v.*1. *cap.ult. v.ult.* Quo & Lex illa Persica, apud Stobæum *serm.* 42. respexit: quæ jubebat defuncto Rege, ut liceret cuique diebus quinque facere, quod vellet; ac quia Pax publica turbabatur, subditi Rege denuò constituto, Leges & Magistratum revereri, & magnificare, maximiq; beneficii loco habere discebant. Sic quoque Sapientes Hebræi, *in capitulis Patrum, fol. m.*

B 42.di-

42. dicunt; Ora pro pace Regni, nisi enim metus esset (id est, Magistratus) alter alterum devoraret vivum.

43. Et errant ergò Anabaptistæ; qui Imperia detestantur, & perperam in ejus locum, Oeconomicum substituunt statum (ad cujus quidem normam Domus, aut familia, vel etiam Monasterium, multitudo verò regi omnino nequit) Quique Magistratum à Christiano, illæsa conscientia, geri non posse asserunt. Quos egregiè refutat Bellarm. *de Laicis, cap.* 2. *&c.* ac *in Manuali* R. P. Mart. Becan. Et potest vel ideò in Magistratu esse Christianus; cùm non eo fine venerit Salvator noster, ut Imperia, ac si quæ alia, naturæ rectæve rationi convenientia sunt, tolleret; sed ut mundaret, ac perficeret ea cuncta.

44. Errant similiter illi, qui Imperia meri juris positivi, seu inventum humanum esse censent. Et quod Bellarm. 8. *de Clericis,* scribit: Regum auctoritatem atque functionem, non immediatè descendere à DEO, neque ex jure Divino, sed duntaxat ex gentium jure: id ita est intelligendum, ut Imperium sit ex jure Divino; sed ratio imperandi, ex humano descendat instituto: ut optimè hoc explicat idem Bellarm. *de Laicis, cap.* 6.

45. Ex hactenus dictis, adstrui similiter potest; non satis reverenter, de Imperiis sensisse Bodinum; 1. *de Republ. cap.* 6. qui respectu causæ primæ, Imperia legitima esse concedit: sed si de causis intermediis quæras, cuncta Imperia, violen-

violentum initium habuiſſe, ac Reipublica cauſam efficientem, vim ac cupiditatem eſſe, cenſet. Sunt equidem Imperia nonnulla, à DEO irato: *Oſeæ.c.*13.*v.*11. *Fileſac.*1.*ſelect.cap.*9. Quæ nempe haud procurant ſubditorum commoditatem, aut devictis provinciis imponuntur; ac pariter Regna quædam, ſortita ſunt ortum præter naturalem, ſeu violentum: ſed tamen ex eo evinci minimè poteſt, Imperia ex ſe, & per ſe, maledictiones, ac contra naturam eſſe. Nam & Matrimonia, haud raro per raptus, philtra, alioſque illicitos modos conciliantur, & ſæpius plus tormenti, quàm adiutorii adferre ſolent: quæ tamen nemo non Legi naturali adſcribit, *per. l.*1.*ff. de.juſtit. & jur.* Quin & Imperia violenta, ac ſcelere parta, niſi mox ad naturalem redeant imperandi rationem; poteſtatem vix tuentur. *Paul. Oroſius* 3.*cap.*20. *ad fin. Bellarm. de Laicis, cap.*6.

46. Porrò autem, cùm per Imperium, Civitas ſeu Politicum corpus, quaſi animetur; ac Imperia ideo ſunt inſtituta, ut medio hocce, ad Civilis ſocietatis fines perveniamus: Inde ſequitur, non alium Imperii eſſe finem, quàm qui ipſi Civitati eſt præfixus. Conveniens namque eſt, ut anima; & quod animæ rationem in populo habet (Imperium ſcilicet) populum, tanquam politicum ſuum corpus, minimè deſtruat. Inſtrumentum etiam omne, omninò debet regulari ſecundum ſuum finem: Eſtque finis, quaſi de eſſentia Inſtrumenti. *Ariſtot.*1.*de anim.text.*18.

& 4. Meteor. cap. ult. Zabarell. tract. de constitut. scient. natur. cap. 32. Sicque Imperii & Imperantium Scopus, non alius esse potest, quàm institutio, directio & conservatio civilis Societatis; ac propagatio publicæ salutis, & honestatis, civilisque felicitatis: quàm ipsius civilis societatis finem esse, suprà deductum fuit.

47. Pessimi item sunt Politici, qui Regentium solum commodum, eorumve utilitatem, ac affectus privatos pro fine Imperii constituũt. Aut qui Principibus persuadent; Bona à Subditis, haud alio jure possideri, quàm olim Peculia à servis. *Freher. ad Petr. de Andlo.* 2. *c.* 8. *fol.* 187. Quod verò vulgò dici solet, Principes esse Dominos fundiarios, seu Grundtherrn/ seye ihnen auch Grund vnd Boden zugehörig: id benignam admittere debet interpretationem. Nam certè aliud Imperium, aliud Dominium; Rexque director magis, quàm Dominus existat: *Bornit. de Majest. c.* 12. *fol.* 103. alias enim abutendi etiam potestatem habere. *arg. l.* 21. *C. mandat.* Quamvis item Cæsares, titulo solemni, rerum Domini appellentur: nihilominus rectè Seneca, 7. *de benefic. c.* 5. ait: Sub optimo Rege, omnia Rex imperio possidit, singuli dominio. Et *cap.* 6. Cæsar omnia habet, Fiscus ejus, privata tantùm, ac sua: & universa in Imperio ejus sunt, in Patrimonio propria: quæ eruditè illustrat R. P. Læl. Bisciola *lib.* 10. *c.* 23. Sicque Lud. Molina *de justit. & jur. tract.* 2. *disp.* 3. *nu.* 7. *&c.* scribit: aliud dominium esse Iurisdictionis, positum esse dumta-

xat

xat in jure homines gubernandi, judicandi & protegendi, ac defendendi: nec non in jure accipiendi ab eis emolumenta; quæ ea de causa ipsis debentur. Ita ut dominium eorum, in eo situm sit, quod Respublica seu communitas, eorum propria existat, quod hæc omnia jura, in eam, & in partes illius exercenda.

48. Definitur autem *Respublica*; Hominum plurium, rerum item tam privatarum, quàm communium, in certoque loco existentium, summa cum potestate, & ratione, legitima gubernatio. Differt itaque à Republica Civitas; quod hæc quasi materia est, in quam Respublica, tanquam forma inducitur. *Arnisæus relect. pol.* 1. *c.* 5. *sect.* 3. Quemadmodum etiam inter *Vrbem* & *Civitatem*, hoc interest: quod Vrbs, teste Nonio Marcello, ædificia, Civitas incolas respicit. Vnde & Cicero, *pro Murena*: Roma urbs est, eam Civitas incolit. Sicque in Carthaginis deditione, cum Legatis à Senatu Romano responsum esset; obsides, cum classibus traderent, Civitati, & privilegiis nihil ademptum iri: id Carthaginenses, male de muris quoque sunt interpretati. *Appian. in Lybicis.*

49. In Reipublicæ autem definitione, cùm dico, eam esse *legitimam gubernationem*, excludo (1) consociationem Latronum, Piratarum, seditiosorum, item, & rebellium subditorum, qui omnes juribus gentium, quæ unum Imperium erga alterum observat, indigni videntur.

50. (2) Hominum, & rerum gubernatio-

onem eam esse ideo dixi: quia sine populi multitudine, ut & absque publicis ac privatis rebus, esse nequit. Dumque certi loci mentio fit; subsequitur [3] Zingaros, Hamaxobios, aliosque de loco in locum commigrantes, non dici posse Rempublicam obtinere. *Christian. Matthias in Colleg. Polit.* 1. *disput.* 4. *thes.* 6. Sicque licet exercitus, Jurisdictionem suam exercere possit, ubicunque versatur: ut *in tract. de jure territor.* alicubi. Andr. Knichen scribit; Non tamen ibi Rempublicam constituere censetur.

51. Illud [4] Imperium, ubi non est summa potestas; membrum, non corpus, & provincia, haud Respublica vocari meretur. Indeque Imperia subalterna (qualia sunt Electorum, aliorumque Imperii Statuum & consimilium, qui alterius potestatem agnoscere tenentur) haut veram, & ita propriè dictam habent Majestatem.

52. Sic & [5] plures populi, aut separata politica corpora, quorum singula propriam, & supremam habent potestatem, inter se invicem perfœdus etiam arctissimum juncta, minimè unam Rempublicam constituere censentur. 3. *polit. cap.* 6. Quia nempe confœderationes, ferè perpetuæ non sunt: ac etiam si quæ tales inveniuntur, non tamen sibi invicem subjiciuntur; sed utrinque retinent libertatem suam illibatam. Sicque Helveticum fœdus, aut etiam illud, quod inter Civitates Hanseaticas est; minimè unam Rempublicam facit. *Gulleman.* 3. *de reb. Helvet. cap.* 14

cap.14.Bodin.1.de Rupubl.cap.7.num.71.Simler. de Republ.Helvet. à princ.

53. Viciſſim multa Imperia ſubalterna, diverſas etiam urbes, imò Provincias comprehendentia, quamvis eorum ſingula, diverſa Privilegia, omnimodam etiam Juriſdictionem (Majeſtati fere comparem) & particularem, ac diverſimodam habeat adminiſtrationem, unicam tamen Rempublicam conſtituere cenſentur: ſi modo ea omnia, unius Imperii univerſalis vivificet vigor. *Paul.Buſius 1. de Repub.cap.3. num. 8. Caſp. Barthius lib. 58. animadv. cap. 5.* Ut videre eſt cumprimis in Imperio Romano moderno, ubi varii Principes, ac magnates, ut & liberæ Civitates, ſuas quæque ditiones, jura, conſuetudines, ac ſubditos (in quos ipſis competit jus necis) habent. Quia tamen omnes Imperio Romano-Germanico ſubſunt, proinde unius Reipublicæ ac Civitatis ſpeciem exhibere comperiuntur. *Thuan.hiſt.lib.2.*

54. Et poteſt porrò, una, eademque perſona, diverſorum Imperiorum, ſibi invicem non ſubjectorum, exiſtere caput: quæ tamen pro una Republica non ſunt habenda, niſi vere uniantur; ut nunc Anglia & Scotia, Dania & Norvvegia exiſtunt. Longe enim differt, ſubjectum eſſe Regi, & ſubditum eſſe Regno. Ac ita Rex Hiſpaniarum, caput eſt Regni quoque Neapolitani: non tamen hoc, Hiſpaniæ Imperium agnoſcit. Eſt namque Neapolitanum, per ſe Regnum, minimè verò Provincia Hiſpanici

Regni; quamvis Regem Hiſpaniarum pro Domino habeat.

55. Imò poteſt aliquis Imperia obtinere generis diverſi; & hujus ratione Princeps liber, alterius nomine, alieno Imperio ſubditus eſſe. Sicque Rex Hiſpaniarum, quò ad Burgundiacas Provincias, & Mediolanenſem Ducatum, Imperio ſubeſt; ratione Regni Neapolitani, & Siculi, P. Maximi Vaſallus exiſtit: & tamen in Hiſpania, aliiſque Regnis, imperat abſolutè. Sic & Daniæ Rex, quò ad Daniam liber, reſpectu verò Holſatiæ, Imperii ſtatus habetur. *Cluten. in ſyllog. theſ.* 10. *ſub.lit.* b. Et ita intelligendum eſt illud Documentum, quod Clapmarius 5. *de Arcan.Imp.cap.* 16. ſe vidiſſe teſtatur: **Wir Carl der Fünffte / entbieten dir Carl Ertzhertogen / zu Oeſterreich / ꝛc.**

56. At porrò Reipublicæ adminiſtrandæ ſcire rationem (æquè ac cognitio artium, & diſciplinarum aliarum) cum primis indigere videtur doctrina, & Inſtitutione. Nam ſanè ſapienter Socrates, *apud Xènophont.in memorabil.* ſtultum eſſe ait: putare eas artes, quę minores ſunt, haud poſſe abſolutas reddi ſine inſtructore; Civitate verè præeſſe, quod omnium eſt maximum, poſſe quempiam ex ſe noſſe.

57. Et prudentia illa artificioſa, quæ de politica judicat *ἐυταξία*, eamque in Civitatem inducit, atque fovet; *Politice* vulgò vocatur: Princeps & domina quæ eſt reliquarum facultatum, atque ſcientiarum. *l.* 1. *pol.* 1. Omnibus quia Leges

ges dat, Reipublicæ ſuæ prudenter accommodatas, eaſque architectonicè diſponit. 1. *Eth.* 2. Sanè Architectonis veluti ductu, & auſpiciis, officinatorum, ſed opera variorum, Baſilica aliudve ædificium magnum perſabricatur: ipſi ita Politicæ, non ut partes, ſed ut ancillantes ſubjiciuntur Oeconomica Iuriſprudentia, peritia rei militaris, univerſimque artes & diſciplinæ, in actione quæ verſantur aliæ. Quarum opera & actiones, non equidem illa facit, veruntamen factis operibus, & actionibus imperat: eas nimirum ad communem accommodat uſum, & gradum aliquem perfectionis addit; ex privatis ſcilicet publicas faciendo. Ita, ut cum Iphicrate, apud Plutarch. *in apophthegm.* politicus dicere queat: Nil horum ſum; ſed his omnibus didici imperare.

58. Et ſic ferè, ut phyſicæ Medicina: ita Ethicæ atque politicæ, *Iuriſprudentia* ſubordinatur. Ea namque, ut juſtitiam particularem exercere, & ſecundum illam cuilibet jus ſuum diſtribuere queat; Leges, contractus & teſtamenta ritè interpretatur, judicia ordinat: Legeſque tam publicas quàm privatas, facto, variis circumſtantiis informato, ſecundum æquitatem adaptat, & coæquat. Indeque Jus, ars æqui & boni, definitur. *l.* 1. §. 1. *ff. de juſtit. & jur.*

59. Hacque Civili prudentia qui præditi ſunt, *Politici* vocari merentur. Minimè aut ardeliones illi, qui omnium horarū homines eſſe volunt & qui hodie ea ſub larva latitantes, Orbem Chri-

ſtianum nimio onere gravant, omniaque Imperia turbant; & tandem Atheiſmum inducent, *Thomas Stapleton. Anglus in orat. Acad. hac de re ſingulari R. P. Creſoll. in theat. reth.* 1. c. 3.

60. Politicen, qui commoda *methodo* tradere velit: cognito objecto (quod eſt Civitas, Politia ſeu Republica informanda) ejusque fine (de quo jam modo actum eſt *ſuprà*) edocere porrò debet, Civitatis Conſtitutionem, tum porro Rationem gubernandi, ſeu Conſervationem; tandem diſciplinæ civilis partes conſequentes, ſcilicet Augmentationem, ac item illius Converſionem, & morbos, eorumque curationem.

LIBER PRIMUS POLITICorum: *de Civitatis conſtitutione tractans.*

Conſtituitur Civitas, ac Politicum illud corpus, ex partibus principalioribus duabus: *Imperantibus* ſcilicet, qui capitis (ubi præcipua, & gubernans animæ vis, ſedem fixiſſe reputatur) ac *Subjectis*; qui reliquorum membrorum obtinent rationem. 7. *polit.* 14.

61. Doctrina ergò de Civitatis conſtitutione, circa hoc inprimis eſt occupata: ut exactè cognoſcatur, quid Juris habeant tàm ſubditi, quàm Imperantes; ac quinam eorum erga ſe invicem debeat eſſe reſpectus, tam ſuæ perſonæ, quam rerum ipſis ſubſervientium ratione?

61. Im-

62. Imperium insuper, non simpliciter tantùm & per se; nullo habito respectu, apud quem fiet: Sed & intuitu numeri Imperantium, considerari debet.

LIBRI I. PARTIS PRIORIS,

QUÆ DE IMPERANTIBUS AGIT,

CAP. I.

DE MAJESTATE in genere.

IMperium in Republica summum; vulgò & propriè Majestas (à magnitudine, aut major quod sit status, seu amplitudo, & magnificentia) vocatur. Et competit ea solùm iis, qui superiorem, nec intra, nec extra Territorium agnoscunt: cæterorum (Vasallorum puta, Gubernatorum, &c) potestas utcunque magna, amplitudinem nominis hujus, haud æquare potest. Quod & dicendum videtur, de Regibus Romanorum, vivente Cæsare electis: omnibusque qui administrationem, haud jus ipsum; aut dignitatem non potestatem habent. Ut quoque sunt Veneti Duces.

2 Quamvis autem Majestas, varias habeat significationes, ac etiam interdùm pro splendo-

re quodam dignitatis singulari, usurpetur. *Arnisæus de Majest. 1. cap. 1.* Eaque ratione, καθ' ἐξοχὴν Romanus Imperator, Ihr Keyserliche Majest. cæteri verò Reges, à Germaniæ Principibus, solummodo, Ewer Königliche Würden/ salutentur: ut & Respublica Veneta, ejusque potestas summa, non Majestas, sed Signoria solùm indigitatur. Omnis tamen Respublica etiam exigua (si modò præter DEUM & gladium superiorem non agnoscat) ius tale Majestatis politicum habet: alias minimè Reipublicæ meretur nomen, sed ejus solùm pars existit: *ut quoque in præcognitis dictum fuit.*

3. Est ergò vera Majestas, in Imperio, atque omni dignitate populi superiorem non habentis: *Cicero pro Cornel. Balb. Quintil. lib. 7. cap. 3.* & in qua totiva civitatis vis consistit; quaque post Deum immortalem, nihil in statu Reipublicæ, haberi aut excogitari majus potest.

4. Est verò Majestas, in genere ita dicta, duplex. *Dan. Otto tract. de Majest cap. 1. num. 8. Ioh. Camman. disput. de Iuribus Majest. 1. thes. 70. 75. &c.* Realis nempe & personalis. *Realis* (quæ & Imperii Majestas nominari solet) Reipublicæ competit: conveniens etenim est, ipsam Rempublicam & totum politicum corpus, æquè ac persona quæ Rempublicam regit, singularia jura habere. De eaque intelligi debet, quod habetur *2. Reg. 3. v. 21. & cap. 5. v. 3.* fecisse Reges fœdus cum subditis suis, ab initio Regni.

5. Spectat autem Realis Majestas, ad Reipubli-

publicæ constitutionem; quam ideò nec summus Princeps, mutare potest; sed ei potiùs etiam Imperantis Majestas, obstricta censetur. *Iohan. Marian. de instit. Reg.* 1. *c.* 8. *Cunæ. de Rep. Iudæor.* 1. *cap.* 9. *ad fin.* Cum quippe minimè par sit, Personæ alicui, talem competere potestatem; statum, formamve Reipublicæ evertere queat. Et inde etiam dici solet; Majestatem realem, Reipublicæ esse coævam, durareque quàm diu Respublica vel nō vi majore, vel omnium quorum interest consensu mutatur. Majestas namque hæc, totum corpus Politicum concernit; in eaq; ideo singuli etiam, jus quoddam habere, & item illa ad dominium magis; quàm ad administrationem, pertinere censetur.

6. Quòd tamen ratione Realis Majestatis, Imperantes ipsi Reipublicæ obnoxios esse dixi: id intelligendum est, de obstrictione non subjectiva, sed conservativa: quemadmodum etiam homo, non minùs potens aut liber est, quòd seipsum occidere nequit: quodque suorum membrorum Dominus haut reputatur. Et inde pariter Rex dicitur homicida suæ dignitatis, si quid contra Regni constitutionem agat.

7. Realis autem Majestas, non conprehendit jus Publicum universum; sed in genere solùm consistit in eo, cui principaliter innititur ipse status: ut quòd nihil de bonis coronæ, seu Domanio; & adhuc minùs pars aliqua territorii alienari, sed potiùs minùs legitimè ab antecessoribus alienata, revocari queunt. *Sesse decis.*

 79. *Bart.*

79. *Barthol. de las Casas tract. sing. utrum Reges, jure aliquo, subditos à Regia corona alienar. poss.* Quodque non licet inter plures filios dividere regnum, &c.

8 Et habet insuper quælibet Respublica particualem suam Majestatem realem: ab aliis Imperiis ferè diversam. Sicque in Imperio Romano successio exulat, sed semper eligendus est Imperator, Electoresque potestatem habent prospiciendi, ne quid Respublica capere possit detrimenti: eoque nomine, ipsis, etiam inscio Imperatore, conventus celebrare licet. In Galliis, ad realem pertinet Majestatem, quod semper primogenitus masculus, proximusve agnatus succedit, & à corona fœminæ arcentur, &c.

9. Majestas quoque realis sublata minimè fuit in Republica Romana, ex quo illa transiit in Monarchiam *l. 1. §. 1. l. 3. vers. lex autem Iulia. ff. ad leg. Iul Majest.* Durante verò Democratia, in eo conspiciebatur, quod Plebs non potuit abolere jura Patritiorum, atque Senatus; quodque vicissim Plebis libertas, per Tribunos contra optimates defensa fuit. Quin & Dominica Monarchia non caret reali Majestate; & inde Anno 1622. Turcarum Imperator Osmanus à suis occisus fuit; ob suspicionem, quasi sedem Imperialem ex Europa in Asiam transferre vellet, *ut dixi in list Turcic. fol.* 1339.

10. Et comprehenditur denique realis plerunq; Majestas, legibus quas vulgò fundamentales

tales vocant; alibi Majestatsbrieff / Handfestin / Landsfreyheit / &c. Ac talis reputatur Imperio Romano, Aurea Bulla, Capitulatio Cæsaris, &c. in Galliis Lex Salica, in Suecia hereditaria Vnio, &c.

11. Quemadmodum autem realis Majestas, constitutionem Reipublicæ inprimis concernit: ita vicissim *Majestas personalis* (quæ nempe in personam confertur) pertinet ad administrationem, & omnes curas gubernationis, pro Reipublicæ salute disponendi. Estque ea potestas, quasi Reipublicæ caput, soli & uni, vel etiam pluribus competens, penes quos in Republica auctoritas summa, & autocratia residere censetur. Et inde illa Majestas, etiam in Democratia invenitur: quia Populus simul sumptus, est persona quædam ficta.

12. Ac licet Leges Fundamentales, quandoque etiam agant de administratione, & Principis vel Regis limitent potestatem: attamen eæ tunc ad Reipublicæ spectant formationem, & statum efficiunt mixtum; de quo *infrà* suo loco.

13. Definitur verò Majestas *Personalis*, summa & perpetua, legibusque soluta potestas: competens in res & personas suæ ditionis, vel inibi existentes. *Bodin.* 1. *de Repub. cap.* 8. *in princ. Paurmeister.* 1. *de jurisdict. cap* 3. *nu.* 1. *&* 22.

14 Dicitur vero ideo *summa*, quia non alium, nisi DEUM, & gladium recognoscit, Et ideò etiam, suæ originis quasi existit, nec alte-

rius

rius beneficio obtinet Imperium; sed illud soli DEO immediatè (cujus quippe vices, in hisce terris gerit) acceptum ferre tenetur. Indè quamvis olim populus Romanus per Legem Regiam, Augustis tribuerit omnem potestatem; non tamen ea, à populo dependebat, sed potius in ipsum populum competebat; nec Princeps tanquam aliquod feudem, à populo Imperium habebat; ac populus privativè transtulit suam potestatem in Imperatorem. Hincque habetur in jure nostro; à Majestate cœlesti, Cæsari Imperium traditum, eidemque DEUM, Imperii coronam imposuisse. *l. 1. C. de vet. jur. enucl. l. fin. C. de legib Novell. 82. cap. 4. in fin. Novell. 83. cap. 1.* Et sic, licet Imperatoribus nostris, Electores conferant Regnum; hi tamen solùm sunt caussa instrumentalis: nec ullam potestatem, electo Imperatori dant, sed nominant solùm personam, quæ debeat illam immediatè à DEO provenientem exercere potestatem. Pariter ut de Pontifice Maximo Bellarm. scribit, *2. de Pontif. cap. 17.* Electores Cardinales, verè dici Pontificem creare, & esse caussa, ut talis sit Pontifex, & ut habeat eam potestatem: non tamen ipsi dare eam potestatem, neque esse caussam ejus potestatis.

35. Hocque respectu, Imperatoria potestas, Sacrosancto in Jure nostro appellatur; inibique Imperator, Sacratissimus indigitatur, aliæque Divinæ appellationes, non rarò Principibus tribuuntur. *Rulenger de Imp. Roman. 1. cap. 10. & seqq.*

seqq. Et nos etiam hodie, Imperium Romanum *Sanctum* (das Heylige Römische Reich) non solùm quod inviolabile sit, sed &, ut à DEO ordinatum, & ab eo immediatè dependens, vocare solemus. Ac inde itidem ex DEI Gratia, von GOttes-Gnade / se regnare profitentur Principes absoluti; *Chassan. ad consuetud. Burgund. in præm. adv. par la Grace d. Dieu Rudolphin de Ducib Ital.num. 83. &c. Menoch. consil. 2. num.* 104. eamque inscriptionem, Germaniæ Magnates, ex beneficio & permissione Cæsaris, non jure proprio usurpant. Et nonnulli Galliæ Reges, pro crimine Majestatis agnovere, quod Principes Amorici, hac præscriptione, utebantur. *Bodin.* 1 *.cap.ult. Petr. Ærodius rer. judicatar.* 7 *.tit.* 3 *.cap.* 9 *.fol.* 563.

16. Pariter, quia Majestas summum censetur in Republica Ius: inde illa reliquarum potestatum omnium, omnisque Imperii atque Iurisdictionis in Republica, fons est & scaturigo. Sola ea Imperium merum; Magistratus ab illa constituti, ejus tantummodo exercitium habent. *Bodin. method. hist. cap.* 6. *Scipio Gentil.* 3. *de jurisdict cap.* 3 *.fol.* 348. Ex ea, tanquam pelago, seu potius abysso Politicæ potestatis (quemadmodum ex mari fluvi cuncti) per Delegationes, Commissiones, Ordinationes, Investituras, &c. omnis oritur Iurisdictio Magistratuum subalternatorum: ad eandem quoque redeunt (non secus ac omnia flumina in mare) per Avocationes, Appellationes, Supplicationes, Revisiones, &c.

Molina

Molina de justit. & jur. tom. 6. disput. 2. Ego de appellat. cap. 2. fol. 60.

17. Porrò eodem hocce Majestatis essentiali attributo, suffulcitur axioma illud vulgatum: quod utcunque quis in amplissima forma investiatur, vel alicui jurisdictio concedatur; nihilominus tamen adhuc superiorem Iurisdictionem, concedens sibi reservet. *Petra de potestate Princip. cap. 9. Ego de appell. cap. 2. §. 16.*

18. Huicque eidem fundamento, superstruitur etiam illud: quòd Majestate superveniente, nullus Magistratus jurisdictionem suam retinet non impeditam: sed quemadmodum exoriente Sole, stellæ aliæ cunctæ conticescunt. *Bodin. 3. de Repub. cap. 6. num. 313.* Ut & in jure Saxonico, **Landrecht**/ lib. 1. art. 58. §. **wann der Graff**/ sancitum invenimus, **In welches Land der Keyser kompt / daselbst ist jhme das Gericht ledig: Daß er alle Clag richten mag/ die vor Jhne kompt / ꝛc.** Nisi quod hoc fallere dicunt eo in casu, ubi per Infeudationem, aliumve Contractum, & irrevocabiliter, alicui à susuperiore, Imperium est concessum. *Bocer. de jurisdict. cap. 8. num. 80.*

19. Et porò etiam Majestas, ab aliorum Magistratuum auctoritate & potestate longè est diversa, totoque genere differt. Ita ut Princeps Summus, haut rectè nominetur Magistratus: pariter, ut unitas numerus non est; & mare perperam fluvius, ac Populus liberæ Reipublicæ, improprie admodum Magistratus vocaretur.

retur. *Clapmar. de arcan. 2. cap. 4. Vincent Chabotius 1. disput. juris publ. & privat. cap. 7.*

20. Quod autem Majeſtas, in ſuo territorio poteſtas quædam exiſtit ſumma; exindè etiam Catholici plerique concludunt; nec quoque Pontificem Maximum talem habere temporalem poteſtatem, à qua dependeat imperium omnium Rerumpublicarum in orbe Chriſtiano. videatur *Bellarm. lib. 5 de Pontific. per diſcurſ.* præſertim *cap. 2 & ſeqq.* Et idcirco eundem, Juriſdictionem Cæſari, Regive alicui tribuendi aut adimendi, vel Ius aliquod ſuperioritatis in illos exercendi, regulariter haud directè habere poteſtatem, ſubſumunt.

21. Verùm id rectè limitat Bellarm. *d. lib. 5. cap. 6. & ſeqq.* in Principibus Chriſtianis, Pontificem Romanum pro Eccleſiæ Capite qui agnoſcunt; ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem. Tuncque ei, tanquam communi Paſtori, directivam competere, ait, poteſtatem: & ita abſolvere à juramento ſubditos poſſe, ſi Rex quidam Catholicus, fiat Ethnicus, ſeu infidelis, atheus, &c. vide *Franc. Bozz. tract. de temporal. Eccleſ. Monarchia.*

22. De his autem, ſimilibusque controverſiis (quod juris nempe habeat Pontifex in Imperatores, & viciſſim Imperatores in Eccleſiam, Eccleſiaſticasque perſonas) jam olim inter Pontifices Romanos, & Germanicos Imperatores; Heinricum IV. & V. Fridericum I. ac II. Ludovicum IV. &c. Bella fuerunt admodum cruenta:

enta: eaque occasionem dedisse videntur incrementis Saracenorum. Litesque illas, magna ex parte ante aliquot annos reassumpsit Respublica Veneta, & ferè omnes, etiam fovet Ecclesia Gallicana.

23. Ac licet pariter, propè communiter dicatur; Imperatores modernos, quartæ & ultimæ, à Propheta Daniele *cap.* 7. prædictæ Monarchiæ, existere capita; & Imperii Romani jura, apud eosdem residere. *undecunque Clariss. d. Ferd. VVaizenegg. p.m dissert. de jur. pub. 2. cap.* 1. Quam etiam nonnulli defendant, Imperatorem Mundi Dominum, eique saltem de jure, omnia Imperia subdita esse debere. *Marta tract. de jurisdict. part.* 1. *cap.* 27. *Matth. Stephan. tract. de jurisdict. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 48. *&c.* Hocque negantes à Bartolo, *in l. hostes, de captiv. & postliminio reversis*, hæretici habeantur: nihilominus tamen alii nunc in Mundo Reges, atque Respublicæ, quæ se liberas esse jactant, nil juris in territoriis suis, Imperatori concedunt: etiam si ea Romanis quondam fuerint subjecta. *Vasquius illust controvers. cap.* 20. *& seq. Ego de appell. cap.* 2. *sect* 6. *& seqq.*

24. Absurdumque est dicere cum Domino Harpprechto, *ad tit. de publ. judic.* §. 3. *nu.* 19. *&c.* contra solum Imperatorem Romanum, committi Majestatis Crimen. *Bocer. de Regalib. cap.* 3. *num.* 307. *& tract. de Majest. cap.* 1. Nam sanè contra Rempublicam quamcunque, superiorem non recognoscentem, si quis aliquid moli-

moliatur; is ut criminis Majeſtatis reus, punitur. Non quidem ex Iulia Lege; ſed jure gentibus communi, quod cujus libet Imperantis tuetur Majeſtatem.

25. Additur porrò in definitione Majeſtatis, quod ſit perpetua poteſtas: revera enim non poteſt eſſe ſumma poteſtas, quin etiam perpetua exiſtat, *Bornitius de Majeſt. cap.* 8. *in princ. & cap.* 11. Et ideò cui committitur ad tempus, vel ad certas res gerendas, ſublimis poteſtas; is minimè Rex, ſed ſummus ſolùm dicendus eſt Magiſtratus: *Bodin.* 1. *de Repub* 8 *à princ.* qualis propriè vocatur, cui à ſuperiore conceſſum Imperium eſt. Ac poteſt itaque aliquis ſummum habere jus, qui tamen careat Majeſtate, *l.* 2. §. 6. *de orig. jur Bornit. de Majeſt. cap.* 2. *fol.* 7. Quia ad certum tempus data Majeſtas, ex cauſſa poteſt revocari: eſtque aliud poteſtas conceſſa, aliud tranſlata.

26. Et ſic Dictator in Republica Romana non Rex erat, licet ei ad tempus, ſumma poteſtas concederetur. *argumen. l.* 1. *de offic. Prætorio præfect.* Sicut & conſulibus Romanis ante L. Valeriam, nil quicquam de Regia poteſtate ademptum fuit, præterquam, quod annuum eorum Imperium erat. §. 16. *de orig. jur.* Et quamvis poſteà, ut ab eis provocatio eſſet, fuerit effectum; attamen interdum illis à Senatu negotium dabatur, vederent, ne quid Reſpublica caperet detrimenti, ac tunc magna pollebant domi, foriſque poteſtate, *Coraſ. ad rubric. de offic conſu*

consul.num.4. Ego de appellationibus cap.2.nu. 5. à princ. non verò ea Majestatica fuit.

27. Sic itidem Majestate præditi haud sunt, vacante qui Imperio, per mortem Imperatoris, administrationem habent ejusdem, &c. (vulgò Vicarii dicuntur, quales in Romano Imperio sunt, Serenifs. Bavariæ Elector (in tractu Rheni, da man sich deß Fränck: vnd Schwäbischen Rechtens gebrauchet) & Saxoniæ Dux, in terris viventibus Saxonico jure. *Caroli IV. aurea Bulla, tit.3.* ut quoque haud Majestatica iis competit potestas, qui vel absente Principe, aut Minorenni, mentisque haud compote existente, Rempublicam administrant; & Proreges, vel Proprincipes, Regentesque appellitantur Regni.

28. Itidem hodie Dux Genuensis, & liberis in Rebuspublicis præcipui officiales; aut inibi, vel etiam in Monarchiis Belli Duces (quales olim fuerunt Iudices in populo Israelitico; ut & Principes Auriaci in Belgio, & VValstenius in Romano Imperio, vera Majestate carent.

29. Itaque cum salis mica intelligendum est, quod Aristot. *lib.3. polit cap.10. & 11.* Æsymnetas Græcorum (qui nempe suffragio, ad aliquid negotium aut bellum conficiendum, deligebantur, & quasi Rectores, seu Iussores dicti fuerunt) Regibus accenset.

30. Summum tandem Imperium, etiam *legibus solutum* esse, necesse est. *l. Princeps ff. de legib* Summus quippe non est, qui supra se, vel hominem, vel Legem habet.

31. Quo-

31. Quodmodo autem enunciatum hocce sit intelligendum, inter auctores planè non constat; & inprimis meri Legulei, plerumque hac in parte turpissimè errant. Theologi autem Morales & Practici Iureconsulti; Reverend. nempe P. Becanus *in Theologia Scholast. de legib. cap.* 6. *quæst.* 2. Petra. *de potestate Princip. cap.* 2. Morla *in Emporio juris, part.* 1. *quæst.* 1. *&c.* optimè ex hac difficultate se expedire videntur: dum nempe dicunt, iis penes quos est Majestas, duplicem tribuendum esse potestatem; ordinariam scilicet Legibusque conformem (seu simpliciter civilem) & extraordinariam, seu Architectonicam, civilemque Nomotheticam & legibus liberatam.

32. Ac quidem Ordinariam si Majestatis potestatem inspiciamus; ea legibus submissa esse censetur, regulariter omnibus: cùm nempe secundum leges vivere, & judicare debeat Princeps, isque etiam legibus suis, & à semet latis obstringatur. *l.* 3. *C. de testamentis, l.* 23. *de legat.* 3. *l.* 4. *C. ad leg. Falcid. l.* 4. *C. de legib.* §*fin. Inst. quib. mod. testam. infirment.*

33. Quamvis autem regulariter, multisque casibus fiat, ut Princeps eodem jure cum cæteris utatur, *l.* 31. *qui testam facere poss. l. penult. de hæred. instit. l.* 15. *de conditionibus instit. l.* 23. *de legat.* 3. *l* 2 *&* 3 *C. ne fiscus vel Respublica, cum similib.* Quia tamen in omni bene constituta Republica status eminentiores, singularia & perpetua quædam privilegia habent; Ecclesiastici putà, Nobi-

Nobiles, Doctores (imò etiam mulieres, minores, &c.) ita pariter ii, qui Majestate præditi sunt (& quidem vel ex usu, vel proprio eorum attributo) etiam ordinario jure, præ aliis, quibusdam privilegiis, atque præeminentiis gaudent: eaque semper usurpare possunt.

34. Ac certè solemnia juris, Majestatem inprimis non obstringunt. Quodmodo enim non tantæ detraheret authoritati, Principis si testamentum, propter defectum solemnitatis alicujus, à jure Civili receptæ, invalidum diceretur. *Ego de success. & elect. lib.* 1. *dissert.* 2. Sic & Principis præsentia, solemnitatem defectus in Testamentis privatorum, resarcit. *Barry de success. lib* 1. *tit.* 2. Sic Principis Donatio, propter non factam insinuationem, haud nulla reputatur. *l.* 34. *vers. exceptis.* & *Authen. subseq. C. de donationibus.* Hucque pertinent privilegia fisci, & domus Augustæ, ac si quæ aliæ consimiles prærogativæ, Principibus adscribuntur.

35. Illa autem privilegia, multis modis differunt, à potestate absoluta. Augusta namque, & liberi Imperatorum, ea privilegia; sed minime Majestatem, legibusque liberatam potestatem habent. *l.* 31. §. 1. *ff. de legib.*

36. Sed cum quandoque tales incidant casus, ubi Majestate qui præditi sunt, Leges si observarent, perperàm Rempublicam administrarent: pariter ut Nauta, fluctibus sese cogitur accommodare, iisque coactus, non secundum regulam certam, remos, velaque dirigere, interdum

dum necesse habet. Ac quemadmodum Paterfamilias, Pastor, Pugil. *&c.* non secundum regulas, sed prout subitanea accidentia ferunt, officia exercent sua. Ita sanè opus quoque est, ut alicubi in Republica, non tantùm fortè aliquod Imperium sit, verùm etiam liberum; quod Rempublicam in quavis parte temperet, ordinetve: & quod illam ad nutum fortunæ, & tempestatum, motusque mutationem, gubernare & aptare queat. Hocque respectu, secundum extraordinariam potestatem, Leges negligere Civiles omnes, contra eas dispensare, & quoque Ius Naturale seu Gentium, pro arbitrio prudenti, limitare, determinare, & secundum æquitatem, rectamque rationem, Majestas applicare potest. 3 *polit.7. Bodi.*1*.cap.*10*.Clapmar.*1*.cap.*1*.&* 12. Et meritò proinde, sublimiori illa potestatis plenitudine, eatenus instruitur Imperium summum; ut quoties salus publica, utilitas, necessitas, Iustitiæ ratio, aut similis id postulat caussa, cunctis, tanquam Reipublicæ perpetuus Consul; *Novell.*105*. cap.*2. consulere, & in commune, pro arbitrio jubere debeat, ac possit.

37. Cùm autem summa illa potestas, ad Reipublicæ salutem, faciliori opera procurandam, inventa, & concessa sit. Ergò ad injuriosa, & iniqua, minimè est extendenda; nec libera hæcce potestas, pro licentia quidvis impunè faciendi, sed tantummodo pro reditu ad terminos meri Naturalis, Gentiumque juris & liberæ rationis, jure positivo neglecto haberi debet.

38. Hujus ideoque juris extraordinarii forma est; statuere bono publico, contra jus commune, ac etiam contra privatorum utilitatem, ut totum conservetur: unde & speciem quandoque iniquitatis præ se ferre videtur, quæ rependitur tamen publica authoritate. *Bornit. de Majest. cap. 29.* Interim tamen, nil contra conscientiam, ex lubitu licentioso, hujus potestatis prætextu faciendum: sed intra limites pietatis, honestatis, & fidei datæ manendum; nec aliquid contra conscientiam, vel honestatem est faciendum. Proindeque extraordinaria hæcce potestas, aliter non est usurpanda; nisi necessitas, aut publica salus id velit; aut Majestatis, vel Clementiæ (sine alicujus præjudicio) ostentandæ ergò: nec jus est Majestati, hunc extra casum, plenitudine potestatis uti. Summa namque impotentia est, peccare, vel peccare posse. Ac licet is, qui Majestate præpollet, si delinquat, haut puniatur; sed tamen non jure delinquit. De facto etiam licenter vivere, & imperare Majestas potest; verum & subditus, si vitam propriam contemnat, nec peccare vereatur, Magistratus suæ vitæ Dominus existit.

39. Potestas autem hæc, Ius dominationis. Ius Regni, sed δίκαιον πολιτικὸν ab Aristotele; *Clapmar. 4. cap. 2.* Italis dicitur *Ragion di Stato*, quasi dicas Ius publici boni. *Status* namque, est convenientia propria cujuslibet rei; & rationes status, media sunt, quæ hancce convenientiam, sartam tectamque servant. De eaque tandem potest at

testate capio, Legis Regiæ verba, Vespasiano scriptæ: Ut quæcunque ex usu Reipublicæ Majestateque divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse censebit; ei agere, facere, jus, potestasque siet. *ex Ant. Augustino, Albericus Gentil. disput. Regia* 1 *fol.* 32.

40. Ex quo consequitur, *Ius Regium Samuelis*, (quod proponitur 1. *Reg. cap.* 8.) vel in extrema demum necessitate usurpandum: vel potius ad mores & consuetudines pravas, Regum vicinorum referendum esse. Quarum scilicet relatione, Populus fuerit dehortatus, ne pergeret urgere Regis electionem. *Reverend. Pat. Martin. Becanus in analog. cap.* 16. *quæst.* 9. *Ego tract. de Majest. in genere, cap.* 8. Sed interim absonè de Machiavelli Principe, Alberic. Gentilis *in suo Legato* conjectat, parimodo, cum in detestationem Principatus fuisse scriptum: cum scilicet ipse contextus ubique prodat, illum agere ibi præceptorem, non dehortatorem.

41. Sicque Majestas sine causa, hoc est, publico commodo non suadente; Civibus res suas, earumque dominium, aut etiam commodum ex Iure Civili descendens, auferre, vel subditorum bona usurpare nequit. Id quod historia de vinea Nabothi, 3. *Reg. cap.* 21. edocet præclarè. Quin & communiter Iuris Interpretes tradunt: Principem, vel alium præditum Majestate, subditos re vel Dominio, aut alio jure suo, privare non posse, sine recompensa, saltem ex collatione concivium colligenda: nisi aliud quid Pacis

gratia fiat, quando cum hoste tractatur, belli finiendi causa. *l.13. ff. com. prædior. Petr. Anton. de Petra in tract. de jure quæsit. per Princ. non tollend. passim. Del. castillo, quot id controversia cap.* 28.

42. Ac item Princeps, Contractibus, ut alius quivis privatus, obligatur: cùm pacta & conventiones servare, Iuris sit naturalis. *Cavall. opinion. com. contra com. quæst.* 852. *Vinc. Cabotius 2. disput. variar. cap.*10. Sed tamen ille, si læsus vel deceptus sit, tali vinculo per dispensationem liberare se potest (cum gaudere videatur ex parte juribus Minorum) quod aliquot ante annos fecit Philippus II. Hispaniæ Rex, Genuensium nonnullorum usuris, cum se prægravatum censeret. *Rudolp. Boter. histor. lib. 3. fol.* 302 *Meteran. histor. Belg. fol.* 284.

43. Nec tandem solius Principis testimonium, omni exceptione majus est; nisi ratione officii aliquid attestetur (ubi etiam inferiorum Magistratuum subscriptiones & sigilla, plenam merentur fidem. *Farinac. de oppos. contr. pers. test. quæst* 63. *cap.* 3.) Non si ut privatus deponat: quam ob causam Parlamentum olim Parisiense, noluit aliquem condemnare; unius Regis testimonio convictum. *Bodin. de Repub.* I. *cap.* 10. *& lib.* 6. *ad fin.*

CAP.

CAP. II.

DE IURIBUS MAJESTAtis: seu particularibus ejusdem functionibus, circa diversa objecta.

1. MAJESTATIS potestas, etsi pateat tàm latè, quàm latè summi Imperii cura & officium sese extendit: cùm nempe in eo potissimùm consistat, ut Imperio universali Rempublicam quasi animet, & administret universam; in harmoniamque & concordiam reducat numerum subditorum, utcunque magnum.

2. Eam tamen suam potestatem, cùm pro diversitate objecti, exerat quoque non uno modo (pariter ut in corpore humano, anima rationalis, pro diversitate membrorum, varias exhibet operationes) inde certa quædam Iura, Potestati summæ attribuuntur; quæ ipsam immediatè concomitantur: & ideò nihil aliud sunt, quàm exercitia absolutæ & summæ potestatis, respectu rerum diversarum, quæ in Reipublicæ administratione occurrunt.

3. Illa autem vulgò *Regalia* ac Regia, Basilica item jura, à Regis vocabulo indigitantur: rectissimè *Majestatis*, aut Majestatica *jura* vocantur *Camman. de Majest. disput.* 1. *thes.* 86. *&c. Paurmeister* 1. *de Iurisdict. Arnisæus de jure Maje-*

ſtat.2.cap.1.nu.2. Haud ſoli quippe competunt Regi; ſed & Senatui ac populo, iisque cunctis, penes quos Imperium eſt ſummum. In Imperio Romano, Kayſerliche Hochheit/vnd Reſervaten adpellant. Regalia autem, de quibus ſingularis eſt titulus in libris Feudorum certa, & ſpecialia quædam jura, atque commoditates erant, quæ Imperatorio Fiſco, in Italiæ civitatibus competebant: ut videre eſt apud Guntherum Ligurinum. *lib.8.verſ.563 &c. Radevic. 3. cap.41.& 4.cap.5. Sigon hiſtor.Ital.lib.10.*

4. Porrò autem, à Catholica Religione alieni qui ſunt Iureconſulti, ac quoque ex Catholicis nonnulli, Iura Majeſtatis in duas claſſes ſegregare ſolent, & quædam politica, quædam etiam Eccleſiaſtica vocant. *Clapmar. 1. de arcan. Rerumpub. cap. 5. Arniſæus de jure Majeſtat. 2. cap.6. Einſidel. in tract. de Regalib. cap. 1. num.48. & Camman. diſput.3. de Majeſt.* Adcò ut multi putent, eos qui etiam in re Divina, & in cauſa Religionis conſtituenda, Pontificem Romanum pro ſuperiori agnoſcunt, ſupremos Principes vocandos non eſſe. *Alberic. Gentil. diſput. Regia, 1 fol.8.* VVaremund. ab Ehrenberg. *cap.1. vereſimilium num.5.11.21.&c. cap.2. nu. 11. & ſeqq.* Hocque inprimis eo introductum eſt fine; ut Imperantes Divinarum ſimul atque humanarum rerum, ac animarum æquè ac corporum exiſtere domini poſſint.

5. Verùm quatenùs Eccleſiaſticæ res, pertineant ad Politicam Majeſtatem, anceps ac etiam

iam periculosa quæstio est: cùm ea de re non solùm Catholici, a Protestantibus dissentiant inprimis; sed nec ipsi Catholici, interse conveniant planè: aliudque Sorbonici & Veneti Theologi, aliud alii hac de re tradant. Pariter, ut quoque ii, qui à Romana Ecclesia secessionem fecerunt, sibi invicem hac in parte variè contradicunt (ut maximè edocent Puritanorum, & Anglicanæ Ecclesiæ lites) multisque in locis, aliud in scriptis traditur, aliud in usu habetur.

6. Hoc quidem non videtur esse negandum; quod Magistratus Civilis, Custos sit Decalogi Tabulæ utriusque; vitia nempe morum, etiam contra primam tabulam commissa: blasphemiam putà, Magiam, sortilegia, Maleficia, atheismum, & similia crimina, prohibere, punireque debet; quæ ideò mixti Fori indigitantur. *Papon. de arrest. lib. 22. t. 3. Rutg. Ruland. de process. executiv. cap. 9. excellentiss. Dn. Ferd. VVeitZenegg. p.m. dissert. de Malefic. cap. 2.*

7. Porro quoque potestatem secularem, Personas & Bona Ecclesiastica, aliquo modo sub Imperio suo habere; non quatenus sacra, & ita nullius sunt, sed quatenus adhuc in Republica existunt, & ad Politicum ordinantur finem, ac etiam defensionem, & alia commoda percipiunt exindè. Sicque exemptiones, immunitatesque Clericorum, & ad Ecclesiam spectantium Bonorum; jure positivo introductas, ac ex Privilegio, non mero Divino jure competere: ideo-

que in ejus esse potestate,cui Imperium est summum, censent nonnulli. Et inde clericos, ac eorum bona, quibusdam in casibus, tributis & collectis onerari solent. *Ærodius 1.rer judic tit. 4 cap. 2. & seq.& tit.5 per discurs. Cavall.quæst. com.contra com.quæst.550.*

8. Hucque pertinent illæ quæstiones: An Politicus Magistratus, punire possit Clericos & Religiosos, graviorum præsertim criminum reos? An requiratur ejusdem Magistratus consensus,si Ecclesiæ novæ sint ædificandæ: novique Ordines introducendi? An idem prohibere possit, ne ad Ecclesias perveniant immobilia bona,&c? Quarum omnium affirmativam Veneti; & quoque prætensæ libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensores; ex parte tuentur.

9. Sed magis est, ut dicamus; exemptiones Clericorum. Ecclesiasticorumque bonornm, juris esse Divini. *Carnin. in Turri Babel part.3. cap.2.fol.562. Bellarm.1.de Cler.cap.28.&c.Molina tract.2.disput.31.* Unde & Ecclesiam ejusq; personas in: non verò de territorio esse: *Cardin.Tuschus lit. E.conclus.15. facit huc cap.10. de constit. & distinct.96. ac seq.per tot.* Nec ideò, à Magistratu civili punire Clericos posse (nisi degradatos, eique à Clericis traditos) dicunt *Tuschus lit.c.conclus 385 &c.*

10. Verum tamen bonorum secularium ratione, & quæ non libera ad Ecclesiam pervenerunt, salva manet Iurisdictio Magistratus secularis: sicque capio, quod scribit Card. Bellarm.

2. de

2. *de Pontific cap.7 fol. m.* 200. Episcopos, Regi subjectos esse debere, in iis, quæ spectant ad politicum statum. Invito etiam Magistratu politico, bona, quæ secularia semper fuerunt, liberè ad Ecclesiam transire non possunt. *vide Petr. Peck. tract. de amortisat. bonor. per tot.* Idque multi Principes, & Respublicæ singularibus statutis inhibuerunt. Ad Ecclesiamque de novo ædificandam, & ad Monasteria nova in fundo seculari extruenda, ex eadem ratione, necessarius est consensus Magistratus.

11. Omnem insuper Religionis & Ecclesiasticæ potestatis abusum, in præjudicium legitimè constitutæ Reipublicæ tendentem; Imperium Politicum alicubi tollit. Hucque pertinent in Galliis *les appellationes comme d'abus*, vocitatæ. *Papon. lib. 9. tit. 2. Pasquier des recherch. cap. 27. & seq. Francisc. Salgado tract. de Regia potest.* Et quod in Hispaniis non admittuntur Pontificii Legati, nisi prius examinentur, quibus uti velint dispensation bus, commissionibusque: & ne illæ in dispendium Reipublicæ tendant? *Covarruv. pr. quæst. cap. 3. Morla. in Emporio. tit. 2. quæst. 14. Cavall. tom. 4. opin. com. quæst.* 897. Ubi tamen maximè est cavendum, ne, dum sartam tectam Rempublicam cupimus servare, Ecclesia offendatur, & in servitutem redigatur.

12. Porro autem, quod ipsa Religio, cultusque religiosus, minimè sit in Majestate præditi administratione; cùm peculiaris sit Ecclesiasticus ordo, à Politico & Oeconomico di-

ſtinctus: neque propriatim Imperii vi, ordinanatio, ſeu Regimen Eccleſiæ, Eccleſiaſticique Miniſterii, illi competere videatur; Catholici, ac quoque ex hæreticis non pauci aſſertant. Quodque in Codice & Novellis, multæ ſunt legiſlationes, directè Religionem concernentes (putà de ſumma Trinitate, de Hæreticis & Manichæis, &c.) eæ prius in Conciliis deliberatæ, & poſtea ab Imperatoribus, tanquam executoribus, promulgatæ fuerunt. Non enim Magiſtratus ſecularis, omnem curam Religionis abjicere debet; ut olim voluerunt Donatiſtæ: *S. Auguſtin. contra Petilian. cap.* 92. ſed potiùs debet illam defendere, non tamen, ut Dominus, ſed ut Miniſter, non ut Judex, ſed ut executor, de illoque dogmate, pluribus agit Martin. Becan. *in Manual.* 3. *cap.* 19. *quæſt.* 8.

13. Corruit ergò dogma Anglicanum; quod Regem, & quemlibet Magiſtratum ſuperiorem, caput Eccleſiæ ſuæ eſſe urget. *Ricard. Harris in concord. Anglic.* Hujus autem, antea inauditi dogmatis autor fuit, Henricus VIII. Angliæ Rex: qui cum divortium à Pontifice Max. impetrare non poſſet, ab eodem ſeceſſionem fecit: *Sander. de ſchiſmate Anglic.* quod etiam improbavit ipſe Calvin. *Thuan. lib.* 1.

14. Prætereà multi ex prætenſis reformatis, concedere nolunt, Eccleſiam conſtare ex Clericis ſolis, nec eam habere monarchicum caput; ſcilicet Pontificem Romanum. Autumant pariter, conſiſtere non poſſe Anabaptiſtarum, &

Puri-

Puritanis attributum dogma; (quod vult Ecclesiam Democratica ratione) sed potiùs Aristocraticè gubernandam esse. Ac ita illos, qui Majestate pollent, ejus membra præcipua censent. Et cùm omnia ordinatè in Ecclesia fieri deceat: Magistratum ideò Civilem, & præsertim summum, nutritium, defensorem ac protectorem Ecclesiæ, Ecclesiasticæque disciplinæ; ac quoque id quod una cum Ecclesia sancit, exequi debere tradunt. *Meisnerus dissert. de regim. Ecclesiast. latè Parkerus tract. de polit. Ecclesiast.* 3. *cap.* 13. *& multis seqq.* Exindè quoque jus vocandi Ministros, haut Magistratui soli, neque etiam populo soli, & neque Episcopis solis, sed Ecclesiæ toti competere ajunt. Quamvis autem interdùm, hac in parte aliquantùm emineat Majestatis potestas: eam tamen ipsi ex pacto vel si alia modo concessam dicunt. Sicque, licet Principes Augustanæ Confessionis, habeant jus vocandi Pastores, id fieri, quia id ipsis Ecclesia sui territorii concessit, ne hoc, ab illorum dependere nutu, sed per Consistoria, ritè constituta, expediri debere. *vide Chemnit. lo. de Eccles. cap.* 4. *fol.* 324. *Henric. Eckhard. de ordin. Ecclesi. fol.* 9. *Gerhard. de minist. Eccles num.* 86. *&c.*

15. Sic pariliter illi tradunt ad Principis, aliorumque Magistratuum secularium curam quidem spectare, Judicia constituere Ecclesiastica ordinaria, quæ Ecclesiasticam, seu Episcopalem exerceant Jurisdictionem: & nimirum de Matrimonialibus, aliisque Ecclesiasticis causis, Ius

dicant. Hæc tamen, Principem non absolutè, sed potius Ecclesiam, seu presbyterium referre. Quodque lites Matrimoniales & similes, aliam rationem habeant, quàm merè Civiles, apparere tradunt vel ex eo, quia Salvator noster ad mortem condemnare noluit adulteram, *Iohan.* 8.*vers.* 3.*&c.* renuit etiam Divisor esse hæreditatis; *Luc.* 12, *vers.* 14. & tamen de matrimonialibus causis, interrogatus respondit, legesque sancivit. *Matth.* 9.

16. Sed nunc omnibus ferè in locis, ubi Catholica exulat Religio, jure Principis, & in Aulis, tractantur negotia Religionis ipsoque facto, Princeps, ac qui supremum Imperium habent, pro capite se Ecclesiæ gerunt. Episcopalem item jurisdictionem, per Consistoria ita exercent, ut ea, ab illis habeant delegatam (non ordinariam, in ipsos etiam Principes se extendentem) Iurisdictionem. Quod planè incidit cum dogmate Anglicano; cujus suprà mentio est facta. Ac certè notoriæ hujus opinationis absurditas, absurditatis simul convincit universam illorum hominum confessionem: non enim ex novo Testamento, ullum verbum producere possunt, quo hæc roborentur, sicque destituuntur sacris literis, in articulo hocce fundamentali, qui tamen sacram Scripturam semper in ore habent.

17. Sanè in Saxonia Serenifs. Elector controversiam Menzerianam decidit: & is Metropolitanus Saxonicæ Ecclesiæ disertè vocatur, ejus-

ejusque nomine Prædicantes ordinantur: ut alibi DEO dante ostendam. In Marchionatu quoq; Badeno-Durlacensi, Isaacus Fecklerus, functione sua privatus fuit, quod Consistoriis Ecclesiasticis ordinariam tribuerit jurisdictionem, ut ex scriptis, ab eo editis apparet.

18. Ex hocque fundamento, Practici Germanici fori pro Maxima habent; Religionis immutationem, sequelam esse territorialis Iurisdictionis. Certè id pacis tantùm gratia toleratur; non quod hoc ipso jure fieri debuisset: aliàs namque Pax religiosa non ad duas tantùm confessiones restricta fuisset; sed status, ac Domini territoriorum, quam cunque libet, fovere possent Religionem. At nunc Autonomiam, quæ est aperta via ad Atheismum, urgent, libereque Calvinismum, & nescio quas alias phanaticas sectas, introducunt vel fovent. Ita ut rectè scribat Dn. Contzen 3. *polit. cap.* 16. §. 4. Quia in Germania Principes lege quadam Religionem suo arbitrio moderantur, hinc ibi tantam esse Religionum varietatem, ac ignorantiam, ut pene nulla Religio supersit.

19. Planè hæc contradicunt Ecclesiæ unitati, quam etiam Symbolum Nicænum agnoscit. Nec est enim Ecclesia Catholica, ita pro diversitate provinciarum separata, ut sunt Imperia atque Regna; quæ inter se invicem nihil commune habent. Sed sub uno capite unita *Bellarmin.* 1. *de Pontif.* 6. *&* *lib.* 2. *cap.* 18. *fol.* 256. Nec de dogmatibus judicare, Ecclesiasticamque Iurisdi-

risdictionem exercere, ad Laicos spectat *Bellarmin. de verbo* DEI. *cap.* 7. *&* 8. *ac idem tract. de Laicis, cap.* 17. *& seq.* Sicque Constantinus Magnus Imp. de Episcopis noluit judicare. *histor. Tripart.* 2. *cap.* 2. Nec item Valentianus Imp. de dogmatibus sibi voluit judicium sumere: Mihi, inquiens, cùm unus de populo sim, fas non est talia perscrutari. *hist. Tripart.* 7. *cap.* 12.

20. Et omnino absurdum est, quod Aulicopolitici sectarii prætendunt; competere Principibus, aliisque Imperii statibus, in territoriis Augustanæ Confessionis exercitium Iurium Ecclesiasticorum (& quidem tàm respectu eorum, quæ sunt ordinis, quàm quæ sunt Iurisdictionis, & Legis Dioecœsanæ. *Matth. Stephan. de jurisd. Ecclesiast. part.* 1. *cap.* 15. *à princ. ut & Ioachim. Steph. in Instit. juris canon.* 1. *cap.* 7. *num.* 48. *&c.*) vigore suspensionis potestatis Catholico-Episcopalis, in Pace Religiosa factæ. Id enim inevitabili necessitate inductum fuit: & intelligendum solùm est privativè, nec jus aliquod adversariis concedit positivum. Ac ita illa jura, nec ut depositum habent; quemadmodum nonnulli, hocce attentatum colorare nituntur.

21. Quod autem sectarii scribunt, in Concilio nationali, seu Synodo provinciali, aliisq; similibus extraordinariis conventibus Ecclesiasticis, præsidere eum, qui eo loco imperat cum Majestate: Conciliorumque generalium Præsidem esse debere Imperatorem; hoc satis refutat Bellarm. 1. *de Concil. c.* 19. *& cap. seq. &* 1. *de*

de Eccles.cap.12.ac.14. adde Cardin. Cusam.3. de concord.Cathol.cap.8.& seqq ut & cap.13.ac seq. Firmaque est conclusio verè Catholicorum, Imperatorem solùm, ratione externæ directionis, & executionis, Conciliis interesse: *Valdens. de prærogativ. Hisp. cap.* 1. Pontificem vere Romanum: non Præsidem solùm (& quidem cum absoluta potestate) Conciliorum; sed & iisdem superiorem esse. Quamvis nonnulli, contrarium assertent, & se auctoritate Concilii Constantiensis, atque Basileensis tueantur. *vide Dn. Hervvart. pro Ludov. 4. contra BZov. fol.24. & seqq.*

22. Itidem Magistratus Christianus summus, ex Ecclesiæ judicio, tueri veritatem, hæresesque & dissensiones præcavere, atque tollere potest. Inprimis autem ea media hîc sunt adhibenda, quæ suis Apostolis præmonstravit Salvator noster; aut primitiva Ecclesia usurpavit. Indeque, tam in reformanda, quam conservanda religione, violentiam & Imperium in conscientias detestantur; tàm hæretici, quàm etiam ex Catholicis nonnulli. Et idcircò, nisi simul Politici sint turbatores; vix morte vel alia corporali pœna (sed exilio solùm) eos affici debere putant: cùm ignorantes peccent, seque DEO officium perquam gratum præstare autument, ac ita dolo malo carere videantur, quod de aliis civilia crimina perpetrantibus, dici nequit. Sed etiam Calvinistæ, qui olim nil nisi libertatem conscientiarum expetebant; ubi tamen jam firmaverunt dogma-

dogmata sua, etiam gladio contradicentes oppugnant. *Zepper. de legib. Mosaic. lib. 3. c. 3.* Quod & placet Pfeilio, Iureconsulto Lutherano *consil.* 144. in casu, ubi Catholicus subditus se opponit Lutheranæ reformationi. Et quoque Catholicorum pars major, hæreticos supplicio extremo affici posse censet. *Bellarm. de Laicis cap.* 21. *&c. Carnin. in Turr. Babylon fol.* 695. *&c. Decia. tract. crim.* 5 *cap.* 40. *&* 42. Quod & firmant S. Augustini autoritate ICC. Dilingani, *in compositione Pacis. cap. 4. quæst.* 19. Non tamen rejicienda est distinctio Becani, qui *in princip. Manualis controvers.* aliter cum pertinacibus dolosis, aliter cum Zelosis, aliter cum dubitantibus Hæreticis agendum esse putat: & levia interdum remedia usurpari posse autumat. Dn. Contzen. 2. *polit. cap.* 17. Verùm ab initio severitate omnino opus est, ne, dum malum crescit, non amplius queat extirpari.

23. Et indè, dum hæreseos malum iis, quæ Christus præmonstravit, aliisque convenientibus remediis mutari nequit; tolerari potest Religionum varietas, diversusque DEI cultus. Sicque in Germania nostra, firmum robur habet. Pax Religiosa. *Compositio Pacis, ICC. Dilingan. cap. 5. quæst. 26. Martin Becan. manual. 5. cap.* 15. *num.* 1. Sed tamen, quòd in modò dicta Pace, jus emigrandi, minimè ad necessitatem restringatur (ut multi ex sectariis putant) hoc ferè praxi omnium locorum repugnat: & contrarium, nec Politicis, neque Juridicis defendi potest

test argumentis. Aliterque, ut alibi, ita etiam hic docent Confessionistæ, aliud in praxi habent.

24. Maximè autem est detestandum, quòd hæretici Ecclesiastica, & Monasteriorum bona (etiam quæ ipsis non omnimodè subjecta sunt) sibi arrogare, & quasi ea ad superstitiosum cultum sint destinata, aliis magis piis usibus (ut præse ferunt) attribuere velint. Sunt enim eæ res, DEO semel datæ, & ita alienæ: nec ideò cum Cameralibus reditibus (quod tamen plerunque fit) commiscendæ: atque aliter qui faciunt, magnam semper fundo suo attrahunt calamitatem. *vide Documenta rediviva Monast. Wirtemb. passim.* Nec item hoc unquam Pax Religiosa, post Passavicam transactionem admisit.

25. Qui autem libertatem conscientiarum prohibent: concedunt tamen, si quis vicinus, intuitu Religionis, Imperio vicino moveret bellum; eo quoque in casu armis defendere licere Religionem. Magistratus namque Christianus gladium gerit eo fine, ut suos contra vim omnem defendat. *Alber. Gentil. 1. de jure Bell. c. 9.*

26. Ac sunt porrò Jura quædam, quæ etiam Catholici Reges, & Respub. circa Ecclesiastica exercere solent. Inprimis autem in Imperio Romano Cæsarea Majestas, pro generali Ecclesiæ Romanæ Advocato habetur, *Cockier. de Advocat. feud. cap. 9.* etiam ad populos, temporaliter sibi non subjectos. Universalis item illa Advocatia bonorum Ecclesiasticorum, competit etiam aliis Principibus & Dominis absolutis, in il-

lorum

lorum terris. Nam & Leo Pontifex *in can. res autem, 23. quæst. 5.* Res, inquit, humanæ, non aliter tutæ esse possunt, nisi quæ ad Divinam confessionem spectant, & Regia & Sacerdotalis defendat authoritas. *Pet. Gregor. de Repub. lib. 13. cap. 1. num. 27.* Ac quoque suprema hæc advocatia plerumque Electoribus, Ducibus, ac similibus, feudi jure conceditur: tuncque jure proprio competere, & consequens esse videtur Territorialis superioritatis. *Knichen de jure Territ. cap. 4. num. 506.* Differtque hæc Advocatia generalis, ab illa speciali; quæ ad requisitionem alicujus, aut ex mandato, ac commissione Imperatoris, aut ex conventione datur. *Zas. consil. 7. num. 6. part. 2.*

27. Habet quoque Imperator Romanus, *Primarias* quas vocant præces: Die erste Bitt/ postquam electus fuit. Vigore quarum in quolibet Monasterio, & Ecclesia Collegiata, petere potest, ut unus, quem ipse nominat, recipiatur. *Paurmeister 1. de jurisdict. c. 4. Gail. 2. observ. 155. num. 7.* Et competit jus hocce, non ex jure Patronatus, sed ex mero Summi Pontificis indultu, ut Azorius tradit. *part. 2. lib. 10. cap. 7. quæst. 5. Ego in thes. pract. verb. primariæ preces.* Ac repræsentant Wolffg. Sigism. à Vorburg. *in rudiment. jur. Can. fol. 697.* Privilegium illud, quod Paulus V. eo nomine concessit Imperatori Ferdinando II.

28. Sed & alii Reges, adhuc majora sibi Iura in rebus Ecclesiasticis usurpant. Et ita Reges Fran-

Franciæ, *le droict des Regales* vocatum, sibi adscribunt: vigore cujus, humanis erepto Antistite, Regium munus esse ajunt, res Episcoporum tractare, & dispensare, cæterisque ejusmodi Præsulatus muneribus persungi; de qua re latius agit Renat. Choppin. *de polit. Eccles. lib.* 1. *tit.* 7. *fol.* 128.

29. Sed nunc merè Politica Majestatis jura, Paucis quoque enarrabo. Quæ variè distinguuntur, & assignantur. *Camman. de Majest, disput.* 2. *thes.* 48. *usq; ad fin. Clapmar.* 1. *de arcan.* 11. *Einsidel de Regalib cap.* 1. *nu.* 27. *& fol.* 46. Quidam enim illa fluere dicunt, ex tribus officiis Majestatis; ordinando, judicando, & vindicando. *Paurmeister lib.* 1. *cap.* 3. Alii quædam in signum supremæ potestatis, quadam tantum ratione dignitatis præservatæ, competere ajunt: *Fachina. lib.* 3. *c.* 81. communiter in majora ad minora, separari solent. *Peregrin. de jure fisci, t.* 1. *num.* 1. *Rosenthal. c.* 5. *concl.* 2. *n.* 1. *Sixt. de regal.* 1. *c* 2. *n.* 1. At nos absque solicita divisione, ea nudè enumerabimus.

30. Majestas ergò, ut legum vinculo est liberata, ita subditos omnes, sanctionum nexu obstringit, & ad metam Civilis societatis, vel ducit, vel trahit. *can. quæ contra mores, distinct.* 8. Summa namque potestas, infimam, & universalem requirit obedientiam, seu subjectionem.

31. Manu proinde *Regia* (ut olim factum, *Iustin. lib.* 1.) Rempublicam gubernare, vel sancire Leges, quibus subditi universi ac singuli obstrin-

obstringantur: *Bornit. de Majest. cap.* 16. *Camman. disput.* 4 *thes.* 1. & 15. *D. Marta* 1. *de jurisdict. cap.* 37. Leges item mutare veteres (tàm suas quàm *Antecessoris*: cujus utpote Imperium, cum morte expiravit) & condere novas; *l.* 1 *l. penult. l. ult. C. de leg. Donell.* 1. *com.* 12. *ubi Hilliger* primum ac præcipuum Majestatis Civilis habetur attributum. Sanè Ius constitutum dicere, decernere, reddereque, aut etiam facto applicare, & exequi, Magistratuum & Iudicum est; in præsenti verò Leges condere, solo dignum Imperio existit. *l. fin.* §. 1. *C. de legib.* Hocque intuitu Imperatori, ipsas Leges subjecisse DEUM; legemque animatam ipsum hominibus misisse dicitur, in Novell. 15. *cap.* 2. *ad fin.*

32. Si item Lex obscura indigeat interpretatione, quæ excedat officium interpretis, vel judicantis; ex auctoritate illius ea fieri debet, qui Leges ferre potest. *l. fid.* §. 1. *C. de legib. l. Neratius,* 19. *de reg. jur. Novell.* 143. *in princ. Novell.* 161. *in princ. Camã.* 4. *thes.* 105. *Donell.* 1. *com.* 13. Ac alia est Iustitia Principis; alia Iuristarum. *Boccalin.* 2. *ragg.* 95 *fol. m.* 417.

33. Quod verò tradunt Interpretes nostri, non posse subditis sine consilio sapientis legem dari: *Morla in Empor. jur. thes.* 1. *quæst.* 3. id non diminuit Majestatem, sed magis ad ejus gloriam redundat. *argum. l.* 8. *C. de legib.* Sicque in Francia & Germania, semper in Comitiis optimatum, leges adprobatæ fuerunt. Lehman. in der Speyerischen Chronick. 2. *cap.* 39. *fol.* 148. & *lib.* 5. *cap.* 60.

34. Et

34. Et habent quoque statutorum legumque localium condendorum potestatem,quibus Iurisdictio competit territorio radicata; *Bocer. de Regalib. cap. 2. num. 62.&c. Camman.disput.4. thes.8.* sed pro modo suæ Iurisdictionis, & ne quid contra leges generales, statumque fiat. Sic & statuta facere Collegia queunt,aliæque Universitates; sed non de aliis rebus, quàm quarum libera administratio ipsis est concessa: ut, dante DEO, infrà dicam.

35. Et ut Leges generales fert Majestas; sic ejus itidem est, jus singulare, vel *Privilegia* dare. *l. 16 ff.de legib. Camman. disputat.4. thes.17.* Hocque respectu in Lege XII. Tabularum dicitur: privilegia, nisi centuriatis Comitiis,ne irroganto. Et inde illa pariter ut publicæ leges, in Imperantis sunt potestate, eaque (ratione præsertim illarum cessante) mutare vel adimere potest: cùm precariò tantùm concessa videantur. Et aliud ergò est, si transierint in vim contractus (aut donationis, *argum.c. decet.16. de reg.jur.in 6.* vel Juramento fuerint confirmata. *Ego in Delibat.ex lib.1.quæst.13.* Qualia ab Israelitis impetraverunt Gibeonitæ: *Ios.* 9. ac quæ ideo non impunè violavit Saul, etiam sub prætextu specioso, 2.*Reg.*21.

36. Pertinet quoque ad Imperium summum, *Homagio* obstringere cunctos, ad observantiam Legum, & fidelitatem, nullo excepto præstandam: Huldigung/vnd Landspflicht erfordern. *Bornit.de Majest.cap.17.* eoque intuitu, Homo inter-

interdum pro ſubdito uſurpatur. Ac ſi cui Principi inferiori, tale Iuramentum præſtatur; ſemper exceptus eſt omnium ſuperioris reſpectus. Nec ideò Status Imperii, Vaſallos ſuos cogere poſſunt, ut militent contra Imperatorem: qua de re duo contraria Iuris reſponſa extant, in publicis actis, à Londorpio compilatis.

37. Legum cuſtodiæ, earumque executionis faciendæ gratia, conſtituitur Magiſtratus; ut ſit ille Lex vivens, ac loquens, Miniſter & Cuſtos Legis mutæ. Quantum enim eſt jus in Civitate eſſe, Iuſque & Legem, à Majeſtate condi, niſi ſint, qui illud exequantur, dicant & decernant *l.* 2. §. 13. *de orig. jur Novell.* 161. *in princ.* Cùm verò imperans, cuncta providere non facilè poſſit; plures eſſe Magiſtratus oportebit, ab ipſo conſtitutos. Eorumque ita conſtitutio (Majorum præſertim: qui Majeſtatici corporis, ſunt quaſi membra atque manus) haud ſecus atque ipſarum Legum, ad ſummum Imperium dicitur ſpectare. *Bornitius cap.* 21. *Camman.* 6. *theſ.* 57. *Marta.* 1. *cap.* 42. Qui etenim Leges fert, eaſdem quoque per ſe, vel per alium exequi poteſt.

38. Hiſque à Majeſtate conſtitutis Magiſtratibus (Ducibus ſcilicet, Comitibus, &c. qui nempe in locum Præſidum, Proconſulum, &c. majori tamen poteſtate, ſucceſſerunt) alios inferiores ordinare licet: pro modo Imperii ſibi competentis, *Hilliger. ad Donell.* 17. *cap.* 7. *fol.* 48. *&c.* & mediante ſummæ Majeſtatis authori-

thoritate: à qua utpote omnem scaturire Iurisdictionem, jam suprà dixi.

39. Legem ferendarum, & mutandarum absolutam potestatem; noxæ eximendi, criminisque admissi gratiam faciendi, immediatè subsequitur facultas: solamque decet summam potestatem, acrimoniam inflectere severi juris; *argum. l. relegati, in fin. de pœn. Bodin.* 1. *de Republ. cap.* 10. *num.* 164. *Marta* 1. *cap.* 44. *Camman.* 4. *thes.* 68. nihilque magis Principem decet, quàm benevolentiam multorum, clementia, pœnarumque remissione sibi conciliare; rigorem per officiales exercere, *Boccal.* 1. *ragg.* 61. *in fin.* Et alia est Magistratuum conditio, qui utpote semel judicata, minimè mutare queunt, *l.* 14. *l.* 33. *l.* 55. *ff. de re judic.* nec etiam ex causa: velut ratione innocentiæ, postea repertæ, *Cod. Fabrian. lib.* 9. *tit.* 24. *definit.* 8. Et verò Majestas, pœnam remittere solùm posse videtur; in casibus, ubi jure Divino constituta pœna non violatur: vel quæ alia urgens caussa adest publica putà lætitia, commodumve: ut infrà suo loco dicam.

40. Princeps item solus aperit Asyla, *Rittershus. jun. tract. de Asylis sing.* Quibus simile olim erat, quòd ad statuas Principum confugientes, ibi securitatem habebant. *Coras. miscellan. ult. cap.* 26.

41. Hucque spectat, quod fas est soli Majestati (aut cui ea speciatim concessit) notas maculosas vitiosæ abstergere opinioni, seu restituere

re

re famæ. *Camman.4.thes.* 84. *Moditius* §.*lex. dubitat.*36. tam naturales item, quàm Spurios per rescriptum legitimare: *Camman. 4.thes.* 43.& *seqq.* Veniam etiam concedere ætatis. *Hillig.ad Donell.lib.*21. *cap.*12. *lit.Z. Camman.*4.*thes.*92. Minores habilitare ad contrahendum. *Betzius de pactis Famil. fol.*273. Privilegiumque largiri, ut quis absque solennitate testari: *Dd.in l.si quando, C.de inoffic.testam.* velut mutus aut surdus, testamentum condere possit.*l.* 6.*l.*7.*ff. qui testament.facere poss.l.* 10. *C.eod.* Quò etiam restitutio singularis, quam Princeps sibi vendicat, est referenda: *Bodin.lib.* 1.*cap.*10. *Cravet.consil.*166. contra Rem Iudicatam scilicet, contra appellationem desertam, &c. Ac spectant huc itidem litteræ Quinquennales; *de quibus VVilhelm. Anton. tract. singul.* Ac generaliter, sola contra leges dispensat Majestas, hoc est, à vi legum atque Iudiciorum liberat, Iusque, necessitate pensitata, probè relaxat. *Vasq.illustrium,cap.*25. *Augustin. Morla in Emporio juris, tit.*1. *quæst.*2. *Petra cap.*25. Est namque Dispensatio, quasi particularis mutatio, seu neglectio Legum; & in certo solùm casu facta. *Becan. Theolog. Scholast. de legib.cap.*6.*quæst.*13 *Tuschus lit.D.verb. Dispensatio,& verb.Derogatio.* Ac vocatur *in l.* 1.*ff.de constit.Princ.* sine exemplo subvenire.

42. Et indè alii Magistratus, judicare coguntur secundum leges scriptas, vel consuetudinem loci, & in casibus, ubi dispensandi ratio, vel æquitas adest, referunt hoc ad Majestatem: cùm quidem

dem arbitrariam, sed legibus conformem, non gratiosam habeat potestatem.

43. Simili ratione, qua leges fert Majestas, ea quoque judicat omnes; tàm in civilibus, quàm criminalibus caussis. Sicque in Lege XII. Tabularum habetur: de capite civis, nisi per maximum comitiatum ne ferunto. Et indè omnimoda Iurisdictio, ejusve concessio, est quoque jus Majestatis. *Bodin.1. de Repub. ult. num.* 173. Ac Imperium merum, non nisi lege speciali dare dicitur: & hodie quoque Statibus Imperii etiam dignioribus, der Blutban non nisi sub gravissimi juramenti conditione, concedi solet: *cujus formula subjuncta est consil. meo* 141. Unde etiam jus pœnæ statuendæ, ac severius, in aliquos ob exemplum vindicandi; seu jus, ut vocant vitæ, necisque, ad Majestatem spectat. *l.* 29. *C. de nupt. l.* 20. *C. de pœn. l.* 13. *C. Theod. eod.*

44. Sic eadem ab aliis Iudicibus avocat caussas: *Vultejus ad l.* 1. *C. de jurisd. nu.* 169. *&c. Domin. Aruma. ad A. B. disc.* 5. *num.* 11. Syndicatus judicium instituit; aliorumque omnium Iudicia examinat: & ad illum, tanquam ad Legem vivam, ab omnibus provocatur: *Ego de appellat. cap.* 2. *num.* 15. Cuncti namque alii Magistratus, nomine & ex concessione Majestatis, potestate sua funguntur. Ea ergò inquirere potest, num satisfecerint officio suo. Hocque pertinet *jus Relationis* ad superiorem: de quo Symmachus *passim in epistolis suis.* quodque nonnullis in locis, sententiæ ab inferioribus Iudicibus conce-

præ (crimina præsertim graviora concernentes) ante publicationem ad Principem mitti solent. *l.1.§.4.ff.à quibus appell.non lic.* Appellatio quidem ex Privilegio remitti, aut Judex adpellatione remota dari solet: Sed tamen ex causa jam modò dicta, nihilominus superest remedium *Revisionis*, aut supplicationis.

45. Itidem Majestas, causas, ubi alias solenniter procedi deberet, summariter examinare; imò ex quorundam sententia, ab executione quandoque incipere potest, Galli *mort d'estat* vocant: ac ita olim Guysii duo, & paucos ante annos Ancherius, occisi fuerunt. Idque fit jure defensionis, dolo bono, tanquam contra publicum hostem: & ubi ordinarius processus observari non potest. *Morla.tit.2.quæst.2.Boccalin.2.ragg.44.*

40. Dijudicatio similiter magni momenri controversiarum, soli competit Majestati: & ita nonulli, cognitionem de Crimine Majestatis, regalibus maximis adscribunt. *Gigas de crimine Majest.tit. quis de crim. Majestat. cognoscere posit.* Sic &, si in Imperatorem maledictum ingeratur, ipse consuli debet. *l.1.si quis Imp.maledix.* Sicque & hodie hostem publicum declarare, in die Achtertlären; *Gail.1.de pace publ. cap.6. & 12. & 2.observ.130.num.13.* decidere item, controversias Ducatuum, Comitatuum, &c. Cammergerichts Ordnung. *part.2.tit.7.* solus potest Imperator. *Ego in tract.de Iurisd. Imper.Rom.quæst.13.*

47. Vi-

47. Viciſſim, ut nemo ei, penes quem eſt Majeſtas, præſcribit Leges, ita de ſententia ejuſdem, haut alius judicare poteſt: namque alias non eſſet ſummus. *l.* 1. §. 1. *ff. à quibus appell. non lic. Bodin.* 1. *cap.* 10 *num.* 160. *Clapmar.* 1. *cap.* 19. Et ut ab eo non provocatur, ita ſolus is Iudicem à quo non adpelletur dare (aut ſummam appellabilem definire poteſt.) *Symphorem. tom. ult. in præfat.* quod & innui modo *ſuprà num.* 1.

48. Itidem in propria Iudicare poteſt cauſa: *l.* 3. *de his quæ in teſtam. delent. l.* 41. *de hæred. inſtit.* § *fin. in fin. Inſtitut. de vulgar. ſubſtit. Trentacinquius lib.* 2. *tit. de judic. reſolut.* 5. *à princ. Grævæ. lib.* 1. *concluſ.* 21. de alio enim judicare, actus eſt Iuriſdictionalis; quem nemo in poteſtate ſumma præpollentem exercere poteſt. Sed tamen cùm jus hoc nimis odioſum exiſtat; ideò plerumque æqui imperantes, quaſi per modum arbitramenti, aliis, & plerumque ſummis Curiis, ſeſe ſubmittunt. *Bellarm.* 2. *de Concil. cap.* 18. *Ego de appellat. cap.* 2. *num.* 9. Et ſic etiam capiendum eſt id, quod in Aurea bulla habetur; Quod Imperator ſuper cauſſis, pro quibus fuerit impetitus, coram Palatino Electore habeat reſpondere. *Arumæus ad auream bullam, diſcurſ.* 3. *num.* 45.

49. Majeſtatis porrò munus eſt, ſubditos defendere contra vim omnem: hucque Belli inferendi, & propulſandi pertinet poteſtas; ſoli competens ſuperiori: cujus eſt publicam ſuſcipere defenſionem, ne ſi hoc privata fiat autho-

ritate, turbæ oriantur. Et ita subditis, usus armorum est interdictus, nec propria auctoritate, semet defendere contra hostes possunt: nisi ubi periculum est in mora. Indeque injustum bellum reputatur, si non ejus, penes quem est Majestas, authoritate moveatur. *Can. quid culpatur*, 23 *quæst.* 1. *Gentil.* 1. *de jure belli, cap.* 3 Hincque Diffidationes privatorum, Selbgericht / oder Beschdungen / capitales reputantur. Arumæus ad *auream bull. discurs.* 6. *thes.* 16. *Gail. de pace publ. cap.* 4.

50. Porrò etiam Majestas, ad hanc defensionem, sibi subjectos, suosque Vasallos, jure cogit (præsertim si territorium periclitetur) Zu einer Landrettung / & ad bellica officia adigit eosdem: Raiß / Volg / Außwahl / und Musterung / vulgò vocant. *Knichen de jure territ.* 3, *num.* 352. *Camman.* 5. *thes.* 48. *&c. Maulius de Homagio. cap.* 5. Huc etiam referri debet Ius muniendi, murosque Civitatum & oppidorum fortificandi, arces & Fortalitia extruendi. *l.* 9. *de rerum divis. Camman.* 5. *thes.* 67. *Tuschus lit. F. conclus.* 462. Quodque inferiorum arces, & munitiones cunctæ, Majestati patere debent; quod Ius Germani die Oeffnung vocant. *Modit.* §. *plebiscitum, dubit.* 33.

51. Repressalias quoque, seu Pignorationes, quas nonnulli Clarigationes quoque (sed non adeò rectè) vocant; quæ inter Concives prohibitæ, contra exteros (nisi studiorum caussa peregrinentur) solùm concedit Majestas. *Camman.*

man. 5 .*thes.* 68. *Heigius* 2. *quæst.* 12. Eadem enim qua Bellum, æquitate nituntur: ubi pariter innocentes subditi offenduntur, ut eorum Dominus, ad Iuris & æquitatis administrationem adigatur.

52. Verùm quia Bellum suscipit, id est, inimicos pronunciat Majestas: ergò etiam amicos eadem sola facit. *Mart.* 1. *de jurisdict. cap.* 39. *ad fin.* & *cap.* 40. *ac seq.* Eoque intuitu, bellum pace finit, damna & injurias subditis illatas remittit; securitatem, seu alium conductum concedit. *Camman.* 5. *thes.* 21. 26. *&c. Arumæ. vol.* 2. *disc.* 5. *fol.* 52. Fœdera item sancit; *Waremund.* 1. *de fœder. c.* 2. *n.* 28. *&c. f.* 135. *Camman. thes.* 69. & ad exteros mittit Legatos. Rebellionis enim suspicionem parit, si is, qui superiorem habet, cum extero aliquo Principe, de publicis caussis agat, aut conventionem ineat. Et Principes Imperii; tum demum ritè Legatos mittunt, si id non in præjudicium legitimi Imperatoris tendat. *Kirchner.* 1. *de legat.* 3. *num.* 10.

53. Pecunia, cùm rerum agendarum nervus sit, in omni inde Republica certa bona Majestati reservata sunt, ex quorum proventibus, nervos illos necessarios procuret; vulgò *Domanium*, seu Patrimonium regni, apud nos **Cammergut** vocatur. Hucque etiam pertinent ordinaria tributa, **Stewr vnd Schoß**; in recognitionem superioritatis, & dominii universalis quæ dantur: & quæ sunt onera fructuum, proportionabiliter collata, ex possessionibus priva-

 ti so-

ti soli. *Novell.* 161. *Heigius* 1. *quæst.* 17. *num.* 3. *&c.*

54. Vectigalia item huc refero; quæ vel ex mercium trajectu, vel iis rebus præstantur, quæ invehuntur, aut evehuntur. *l.*21. *de donat. inter virum & uxor.* ac in libris Feudor. *Ripatica* vocantur. *Rosenthal. de feudor. cap.* 5. *concl.* 34. Competit tamen vectigalium concessio, in Romano-Germanico Imperio, non soli Imperatori, sed unà Electoribus: adeò, ut quamvis Imperii status, subditos suos collectis prægravare possint; non tamen vectigalia nova instituere queant: cùm hæc exteros & peregrinantes etiam, concernant.

55. Et illud, quod dixi Patrimonium, ut conservetur; quamplurima ei commoda, ex usu communi omnium ferè gentium addicta fuerunt (Regalia vulgò, quasi soli Regi competentia, vel à Rege provenientia, aut etiam Iura Fisci dicta) Et indè Fiscum jure proprio habere, jus esse Majestatis dicunt. *Tuschus lit. F. conclus.* 381.

56. Et ea ratione, huc spectant compendia pœnarum atque mulctarum; *Camman.* 9. *thes.* 27. (Quod regale olim apud Francos, Bannus Regius seu Dominicus appellatus fuit. *Lehm.* 2. *cap.* 4. *fol.* 188. *ac lib.* 4. *cap.* 22. *fol.* 363. ut & confiscationes; *Bocer. de jurisdict.* 8. *nu.* 26. *& seq. Moditius* §. *plebiscitum, dubit.* 46. *&* 143. *Tuschus lit. C. conclus.* 712. aliique Iurisdictionis sublimis fructus. Puta bona, quæ ut indignis auferuntur. *Bornit. de ærar.* 3. *c.* 5. *Camman.*

man. disputat. 9 *thes.* 10. Bona vacantia; eorum scilicet, qui sine hærede decedunt. *l. ult. C. de bonor. vacant. Camman.* 8. *thes.* 4. *Molina. tract.* 2. *disput.* 53. *&c.* Prædia item inculta, atque deserta. *tot. tit. C. omn. agro desert. Mascardus conclus.* 1189. *num.* 14. Unde & novales Decimæ, die newe Brüch Zehenden / hoc præ textu sibi adscribunt magnates seculares. *Rutger. Ruland. decis. jur. controvers. quæst.* 19. *Thom. Michael de jurisdict. thes.* 49. Sed id absurdum omninò est: *cap.* 32. *extr. de decim.* cùm Decimæ ipso jure, & ex consuetudine Ecclesiæ primitivæ, ad Ecclesiasticos spectent, *Baron. A. C.* 57. *num.* 23. Et ab initio, in Germaniæ plerisque locis, omnes agri novales erant, & ad culturam, sub Francicis & Teutonicis Imperatoribus demum fuerint redacti. Pertinent quoque huc, res habitæ pro derelicto: animalia scilicet errantia, & bona, quorum dominus nescitur. *Camill. Borell. de Magistrat.* 4. *cap.* 12. Ac etiam thesauri dimidia pars, inventi in loco Sacro, religioso, publico, aut fiscali. *Arumæ decis.* 1. *Camman.* 8. *thes.* 22. *Heigi. part.* 1. *quæst.* 13. *ad fin. Freher.* 1. *parerg. c.* 4. Hucque pariter referri potest naufragii jus. *Camman.* 8. *thes.* 22. *Kirchn. disp. de Rep.* 16. *coroll. ult.*

57. Proferuntur quoque in cap. unic. *quæ sint Regal in usib. feudor.* inter Regalia (hoc est, inter ea jura, quæ olim Imperatoribus in civitatibus Italiæ competebant; & cum oblita quasi essent, à Friderico I. iterùm resuscitata, fiscoque

Imperiali vindicata fuerunt: (ut jam suprà dixi) reditus Piscationum, fluminumque: *Noe Meurer.* im Jagrecht/ *part.4. & 5. ac.7. Ranchb. quastione 22.* Metalli item fodinarum, *Heigius 1. quæst.3.* Salinarum, Picariarum, &c. *Dassel. consil.2. Bulenger. de vectigal. cap.16.*

58. Variant autem ea jura, pro ratione seculi, & loci. Et sic in Anglia, ususfructus pupillarium bonorum, pertinet ad Regem: *La noble garde* vocant. Multis itidem in locis, pro jure Regali habetur Ius venandi: Die Forstliche Obrigkeit/ vnd Wildban/ *Pruckman. §. venatio, cap.1. Heigius part.1. quæst.15. Meichsner. tom.2. lib.2. decis.2.* ut & Iurisdictio fluviatica atque marina; de qua DEO dante, infrà dicam, cum de Iure rerum agam. Politici tamen monent, non facilè Regalia esse introducenda: *Thesoro politico part.1. fol.m.26.* Nec dicatur de Principe bono, quod *Satyra 4.* Iuvenalis:

Quicquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto est,
Res fisci est, ubicunque natat.

Quamvis potestas, nova regalia introducendi, summum Ius Majestatis existat, cùm ea ex δεσποτίᾳ aut universalium rerum dominio procedat. *Ioach. Stephan. 3. de jurisdict. c.8. num.28.*

59. At quia Reditus ordinarii, sive Camerales, atque Fiscales, publicis sumptibus plerumque vix sufficiunt, inde nova vectigalia instituere, aut vetera augere, extraordinarias item indicere collationes, sive collectas, vel etiam tributa

exa-

exasperare (si nempe ea, quæ ad salutem publicam necessaria, aliter procurari haud possint) de summo Imperio esse, & ad Regalia Majestatis referri debere dicunt. *Sixtin. de Regalib.2. cap.6. & 14.*

60. Ac etiam Angariæ, & Parangariæ, huc referri debent (Daß man mit Wägen/ Pferd/ Schiffen/ vnd dergleichen/ frohnen muß) & propter belli necessitatem, seu aliud repentinum negotium, indicuntur. 3. *Reg.5.vers.13.&c. Sixtin. 2. de Regalib.cap.13. Tusc.lit.a.conclus.* 330. Adeò ut tempore belli, etiam navibus exterorum Principes utantur. Qui mos, & olim in Germania usitatus fuit. *Lehm.l.4.c.22.fol.*366. Huc-que pariter infero, Die Einquartirung: quod Ius in Iure nostro, Metata appellatur. *Bornit. de ærario, 6.cap.3. Molina de just. & jur. disp.*665.

61. Verùm operæ quotidianæ, Vngemessene/ alltägliche Frohn/ haut competunt vi jurisdictionis, sed ex deditio pacto: vel reservatæ fuerunt ab iis, qui olim subditos suos, servilis conditionis existentes manumiserunt; aut tale Ius, præscriptione acquisiverunt, & instar cujusdam Regalis usurpant.

62. Itidem, ut Collectas, aliasque exigere præstationes, Iuris est Majestatis: ita quoque ad illud pertinet, concedere immunitatem atque vacationem. *tot.tit.de his qui à Principe vacat. acceper.l.*10.*C. novell.*128.*cap.*1. *Camman.*4. *thes.* 96. Quæ tamen ita est moderanda, ne exinde aliorum onera augeantur.

63. Sunt denique & in Republica adhuc multa, quæ propter necessitatem summam, maximamque dignitatem, soli Majestati reservata censentur. Et nempe, quemadmodum Majestas pœnas imponit: ita quoque distribuere præmia & honores, ad eandem spectat. Hucque pertinet Ius, Nobilitatem, Insignia & Dignitates conferendi; *Bornit de Majest. cap 20 & idem tract. de præmiis, cap. 3. Camman. disput. 5. thes. 7.* Iusque equestrem nobilium ordinem dandi, Zu Ritterschlagen / *Papon. 5. de arrestis, tit. 4. arresto. 1. & 2.* Doctores ac Licentiatos (quos Bullatos vocant) Laureatos Poetas, Tabelliones seu Notarios, &c. creandi: vel etiam Academias erigendi, ac Comites Palatinos designandi. *Bachov. ad Treutl. disp. 1. fol. 28. Vultejus de feudis, 1. cap. 5. num. 7. Boter. 2. de Regalib num. 161. Paurmeister. 2. de jurisd. cap. penult. Arumæ. vol. 3. discurs. 3.* Est namque Majestas non solùm Iurisdictionis; sed & omnis quoque dignitatis, in sua Republica scaturigo.

64. Sicque Domini Territoriales, licet suis scribis, Den Stattschreibern/ tale Privilegium concedere possint, ut eorum Instrumenta valeant, æquè ac si à Notario fuerint confecta (quemadmodum in statuto locali VVirtembergico, constitutum invenitur) hoctamen solùm tùm locum habet, si in territorio ejusmodi Legem sancientis, Instrumentum esset factum. *Gail. 2. observat. 71. num. 13. Matth. Stephan. 2. de jurisdict. part. 2. c. 5. n. 7. Reiger in thesaur. jur.*

verb.

verb. Notarius. Sic quoque in Academia, ab Imperatore vel Pontifice tanquam universali Catholicorum Episcopo) approbata, Doctoreum qui assumunt gradum; ubique locorum pro Doctoribus agnoscuntur. Eamque ob causam Lugduno - Batavis, status controversia movetur nonnullis in locis.

65. Hoc item respectu, Ius cudendæ sive mutandæ, aut etiam reprobandæ monetæ, ejusque valoris determinandi potestas (ita tamen ut à jure gentium nimium ne recedatur) competit Majestati. Hincque numus, & numisma, à *νόμ☉* descendunt: quod in potestate sint Legis, & qui legibus dominatur. Unde & hodie *Lega*, vel *Liga* indigitatur gradus, & bonitas metallorum, in numis cudendis usurpata: quasi proportio lege constituta. *l. 1. in princ. de contrahend. empt. Covarruvias in Collat. veter. numismat. cap. 7.* Et indè crimen habetur Majestatis, sine authoritate publica condere monetam. *l. 2. C. de falsa moneta.* Etiamsi ea sit Iusta, & ponderis æqui. *Camman. 6 thes. 45.*

66. Monetali Iuri, geminum est mensuræ, ponderum & ulnarum Ius. *l. 9. C. de susceptorib. lib. 10. Borell. de Magistrat. lib. 3. cap. 15.* Hinc & nudinæ solennes, ac celebriores unius Provinciæ, vel totius Imperii, à sola impetrantur Majestate. *l. unic. C. de nundin. l. 1 ff. eod.* Sic & Stapulæ, seu Emporii Ius huc pertinet inprimis. *Mynsing. consil. 19. Sixtin. 2. de Regalib. cap. 3. nu. 39.* Daß man bey einem Ort mit den Waaren an-

anfahren/ vnd selbige außladen muß. Ut & Ius generales postas comprobandi. Reichs Abschied zu Speyer/ *de Anno* 42. §. Vnd damit man auch jederzeit. *Clapmar. de arcan.* 2. *c.* 21. *circa fin.*

67. At verò summa Imperii Jura, ita Majestatis propria esse reputantur; ut individua sint, & communicari sine status mutatione, aut absq; Reipublicæ formarum mixtura, cum nemine unquam possint. *Ego de appellat. cap.* 2. *nu.* 16.

68. Nihil tamen impedit, quin concessione superioris, ab aliis ea exerceri, vel etiam in Feudum recipi queant, Majestatis sine diminutione: *Bornit. de Majest. cap.* 14. tunc enim non Iure proprio, sed alterius beneficio quasi possidentur. Nec verè Majestatis sunt Jura. Et ita Iurisdictio territorialis, quam habent Imperii Principes & alii Status, quædam Regalia in se comprehendit.

69. Est & Regalium acquirendi modus præscriptio: hæc enim pro tacita concessione habetur. *Bocer. de Regalib. cap.* 4. *num.* 48. *& seqq. ut & cap.* 5. *num.* 7. Einsidel. *cap. ult. nu.* 65. *& seqq.* Verùm nec tum aliud præscriptio Ius tribuit, quàm Regalium concessio expressa: nihilominus enim utrobique, superius id & Majestati, cum Imperium ea largitione nunquam comprehensum: sed potiùs illa cumulativè, *& non privativè* (aut solùm ordinaria, non simul absoluta potestas) translata; aut verò majus Imperium retentum putatur, quàm quod concessum

sum fuit; vel saltem recognitio reservata censetur. *quod & monui alicubi suprà.* Et ita Bohemia, Burgundicæ & Austriacæ Provinciæ, Sabaudia, Lotharingia, Italici Ducatus & Civitates, &c. adhuc Romano-Germanici Imperii Majestatem agnoscere tenentur. Nisi plenaria abdicatio, & immemorialis omnimodæ libertatis usus probari queat: quem Veneti, aliique prætendere solent. Ac inclutæ pariter Reipublicæ Genuensi tribuunt, etiam Iureconsulti nonnulli Germani. *Knichen in velitatione Apologetica. num. 40. & seqq.*

CAP. III.

DE IMPERIO, QUATEnus respectu numeri imperantium consideratur, generatim tractans.

1. DE Majestate seu Imperio summo, non respectu ejus, penes quem sit, sive de juribus omni Imperio quæ competunt, hactenus actum fuit. Nunc illud idem Imperium intuitu numeri Imperantium considerari, quasque diversitates varians Imperantium numerus pariat, disquiri convenit.

2. Residet enim personalis Majestas, vel penes unum, vel penes multos; eoque nomine

ne vel Monarchicus, aut verò Polyarchicus est status.

3. Quando verò dubitatur, ad quem, vel quosnam pertineat summa potestas, cumprimis ius imperandi, à ratione administrandi separari debet; quod & Aristoteles advertit. *4. polit cap. 5. in fin.* Nam & in domo, Personam Regis sustinet Familiæ Pater: & nihilominus haut rarò filii, imò etiam servi, in consilium adhibentur. Et sic, de imperandi capio ratione, quod Imperatores Theodosius & Valentinianus, humanum esse probant, si quid emiserit necessarium, quod formam generalem, & antiquis Legibus non insertam exposcat; id ab omnibus tùm Proceribus Palatii, quàm glorioso Patrum conscriptorum cœtu, eantea tractari, & demum universorum consensum, Imperatoriæ Serenitatis auctoritate firmari *l 8. C. de legib.* Vicissim der Iure imperandi intelligendum est id, quod legis vigorem habent, si quæ Principi placuerunt: quodque Romani Imperatores Lege Regia Imperium omne, omnemque potestatem obtinuerunt. *l. 1. ff. de Constit. Princip.* Sic & adhuc hodie Galliæ, Angliæque Reges, Parlamenta, Statusque suos convocant, ab iisque circa leges ferendas, & alia majoris, si quæ sunt momenti, consilium petunt; cùm tamen illud, eorumque majora vota, haud sequi teneantur. Id enim eorum nihil decerpit Majestati. E contra verò, ex sententia nonnullorum, Imperium Germanico-Romanum, mixturam admittit: cùm

cùm nempe inibi Comitiorum Recessus, ex conventione Imperatoris & statuum, habere videantur vigorem, eaque clausula, ab Imperatoribus iisdem soleat subiungi; **Vnd haben Wir Vns mit vnsern gehorsamen Ständen / vnd Sie hingegen widerumb mit Vns / sich verglichen / ꝛc.** qua de re pluribus *infrà* ubi de statu mixto, agam.

4. Seponenda sunt item in hac indagatione, Imperiorum Simulacra, vanusque libertatis splendor, qui interdum devictis, vel Reipublicæ mutata forma relinqui solet, licet vera summaque potestas iis adimatur. Ratio autem gubernandi, nonnunquam in hisce simulacris; at verò Reipublicæ forma, non nisi in ipsa vi Imperii consistit. *Clapmar. 6. arcanis, cap. 5.* Sicque primi Romanorum Imperatores, pristinos reliquerunt Magistratus, & schema veteris Reipublicæ, non in totum immutarunt. Vim tamen Imperii, avidi sunt amplexi: ut suo loco dicam. Alibi simulacra Regia sunt, & non nemo Rex reputatur; qui est tantum Aristocratici Imperii, mixtive status Princeps: quemadmodum erant Reges Spartanorum, & etiam hodie quàm multi.

5. Æquè etiam seponi debet, Titulorum splendor. Multi enim Principes & Reges, Regnorum ac Ditionum, quas minimè possident, retinent inscriptiones: eo tantùm fine, ne jus, quod inibi habent, præscriptione aliqua amittant, earumque possessiones, animo saltem se retinere demonstrent.

6. Imò

6. Imò ſunt etiam Reges nomine, non re, qui puta, alium ſuperiorem recognoſcunt. Qualem eſſe aiunt Regem Bohemorum; qui Imperatoriam Majeſtatem obſervat, & ſaltem quoad Electoratum, Imperii membrum exiſtit. Sic & ſunt Reges alii, quorum poteſtas eſt mixta, vel ab alio dependens; *ut infrà alicubi dicam*; & faciunt notata Baldi, *conſil.* 328 *incip. quæritur ſi Rex Romanus, col.* 2. *vol.* 1. Ubi inquit, utrum aliquis vocetur Rex vel Dux, nihil ad rhombum. Viciſſim Reges ſunt re, quibus titulus Regius tribui haud ſolet. Et indè ubi aliquis invenitur, qui in Ducatu ſuo, tam magnam habet poteſtatem, quam in Regno Rex habere comperitur (ut eſt Magnus Moſcoviæ Dux) de uno ad alterum arguitur rectè. *Rudolph. de Ducib. Ital. num.* 250. *Ego de appellat. cap.* 2. *nu.* 3. Et huc pertinet apophthegma Coſmi Florentini Ducis *a un Principe non conviene ambir l'eccellenza de titoli, ſopra di altri; ma che deve contentarſi della poſſanza, in vece di titolo.*

7. Quæ autem forma Reipublicæ, Civitati cuipiam optanda ſiet? diſcutiendum hîc eſſe videtur. Ac quidem aliqui, unius Imperatorium (propter imperandi facilitatem, frequentiam, & ſimilitudinem Regiminis Divini) cæteris omnibus præferre ſolent. Robert. Bellarm. *lib.* 1. *de Chriſto, cap.* 3. *ad fin. & idem lib.* 1. *de Pontifice, cap.* 2. *&* 4 *Bodin. lib.* 6. *de Repub. cap.* 4. *& in Method hiſtor. cap.* 6. *Lipſius lib* 2. *monit. polit. cap.* 1. *Arniſæus doctr. polit. lib.* 1. *cap.* 10. Alii multitu;

titudinis Imperium (cùm naturale sit, ut quod omnes tangit, ab omnibus adprobetur) magis laudant: pro eaque sententia passim multa adducit Machiavellus, in suis discursibus. Et indè etiam statum popularem, propriè Rempublicam dici aiunt. Quin & ipsos maxumos Reges, eis, qui in liberis Rebuspublicis excelluerunt, postposuit Cato Major; Rex est, inquit, natura carnivorum animal. Neque eorum quenquam Regum, quorum fortunæ prædicarentur, dignum esse, dicebat, qui Epaminondæ, Pericli, Themistocli, Marco Curio, Amilcari, Barcæ, &c. conferretur. *Plutarchus in Catone.* Cùm verò Imperium populare, ferè semper sit turbulentum: proinde regimen paucorum, seu Optimatum (cum æquissimum videatur, ut Optimi qui sunt, imperitent) arrisit. **Schönborner** *polit. lib.* 5. *cap.* 2. Samuelem etiam pro Imperio Optimatum propugnavisse, notat Iosephus *antiquit. lib.* 6. *cap.* 4. & vide eundem *lib.* 4. *cap.* 8. In thesi tamen mixtæ Reipublicæ formam, seu Monarchia & Aristocratia, ac Politia temperatam, præ reliquis excellere, non improbabiliter autumat R. P. Adam Contzen. 1. *polit. cap.* 21. nec ab hac sententia alienus est Robertus Bellarm. *lib.* 1. *de Pontifice Rom cap.* 3. Sanè in ea Imperii forma, integritati Legum, Iustitiæque plenius cautum esse videtur: ubi nempè unus est Regens, & Director; sed alii adhuc, qui eum, ne peccet, prohibent, ejusque laudabiles conatus juvent: & ita præter Principem, Optimatum

matum & Senatus valeat auctoritas; Civitatum tamen, atque aliorum ordinum nonnulla sit potestas.

8. Si verò non simpliciter, sed in hypothesi, hanc rem dijudicemus: nullam tunc Reipublicæ speciem, alteri absolutè præferendam; sed ut Populorum diversi sunt mores, habitus atque ingenia; alii ita genti, vel uni genti diverso tempore, aliam congruere puto Reipublicæ formationem. Latè & optimè R. P. Adam. Contzen. *lib.* 1. *de Repub. cap.* 14. *nu.* 5. *&c. Piccolom. de morib. rad.* 14. *cap.* 8. *assert.* 4. Hancque prudentia Politica eidem adpositè, & conformiter adplicat; omnibus simul circumstantiis consideratis. Et ita boni Politici munus est, non tantùm præstantissimam, & omnium votis optandam Reipublicæ formam contemplari; sed etiam eam, quam tempora, quàm res & opportunitates, itemque mores Civium, perfici ac consistere patiuntur. Aristot. *lib.* 4. *polit. cap.* 1. Sicque Franci libertatem, Helvetii servitutem, non admittunt. Florentinorum licentia liberior, rectè transmutata fuit in severiorem administrationem. Quidam nec libertatem, neque servitutem plenam ferunt. Alii libertatem ignorant, & servi sunt natura.

9. Ac ita Respublica est, cùm bene ac justè, *id est.* ad publicam commoditatem; sive ab uno, vel pluribus ea geritur: ac cùm ii, qui præsunt, quisque ad suum collimat emolumentum, & Imperio ad propriam abutitur utilitatem; jam vitiosa,

vitiosa, aberransve, imò cadaver est Reipublicæ, non corpus. Sed tamen Aristot. nimis evagari videtur, qui exindè Tyranni extruxit definitionem; quod nempè omnis eo nomine debeat insigniri, qui non communem fovet & spectat utilitatem: proindeque in Boccalini Parnasso *centur.* 1. *ragg.* 79. ferè capitis discrimen incurrit. Quamvis enim coram DEO, hoc qui facit, Tyrannus existat: attamen si statim populus talem rejicere vellet, pauca Imperia turbis carerent.

CAP. IV.

DE MONARCHIA.

1. IMPERIUM Monarchicum, primò explicare placet, eò quod omnium primum, in humanum genus introductum fuit: idque ea occasione, quia Paterfamilias, in domo sua quasi Rex existit, ad ejusque gubernationis formulam, Imperia in mundo primò instituta fuisse videntur.

2. Imperium autem Monarchicum, tùm vigere putatur, cùm unus imperat, cæteri parent: cumque Leges Fundamentales, ejus administrandi potestatem, non specialiter restringunt; licet vel juramento, vel alia ratione, ad bene justeque imperandum, Imperans adstringatur.

Nam

Nam & omnis, qui Rempublicam regit ipso naturæ jure, viique taciti pacti, illud facere tenetur. *Arnisæus de Majest.lib.1.cap.6.*

3. Quia verò ad essentiam Monarchiæ spectare reputatur, ut unus rerum potiatur: quandoquidem Regnum non capit duos, & socium ferre, nec Regnum, nec tædæ sciunt. Exinde subsequitur; Dyarchiam, seu *Duumviratum*, *Triumviratum*, *&c.* non Monarchias esse; sed existere potius species quasdam Aristocratiæ. Quando nimirum Augustus, Antonius, & Lepidus, Reipublicæ Romanæ jus arripuerunt; aut in Imperio Romano vetustiori, plures Augusti, parilique jure imperitarunt; ut sæpius factum esse, non inscriptiones solùm Codicis nostri legum demonstrant: sed & cum Ludovicus IV. Bavariæ Dux, & Fridericus Austriæ Archidux, Imperium Romano-Germanicum, ex pacto indivisim administrarunt; si fides est habenda Cuspiniano. *in histor. Cæsarum.* Sanè neuter inibi alterius Imperatorio tenetur, neuterque sine alterius consensione imperare potest; sed utriusque summa potestas, & ita neuter est Monarcha *Bodin.2.cap.2.à princ.* Itaque Imperii istius forma, nihil instabilius cogitari potest.

4. Non item Monarchica Reipublicæ forma, tunc est; ubi duo, pluresve in una ditione commune Imperium habent: quod Gesampte Herzschafften/vulgò vocamus. *Gail.de pignorat. observ.* 20. Hucque etiam pertinent die Ganerbschafften/ ubi unius Castri aut Oppidi, plures

res sunt Domini, vel heredes: quos quidam heredes Accelerantes vocant. Indeque Germanica hæcce vox, vom gehen / aut gahnen / seu appetere, originationem habere putatur: licet alii illam à gemein (propter communionem quæ inter tales est) derivent, & dicant Ganbach alibi communem rivum appellari. vide Killingerum, *tract. singulari de Ganerbinatu*.

5. In casu autem condominorum, neutri in alterum Iurisdictio competit, licet impares respectu tituli existant. Et porrò in ejusmodi ditione communi inter plures, haud majora prævalent vota; sed contra regularem Aristocratiæ rationem, potior est conditio prohibentis: & tanquam in re, quæ plures, ut singulos concernit, omnium consensus necessarius reputatur. *Surd. consil* 47. *Betsius de pact. fam. Killing. discurs.* 8. *Schrader. part.* 10. *sect.* 10. *num.* 8. *&c.* Ac insuper censent nonnulli, tali in communione, ad divisionem Iurisdictionis, Pagi vel Castri (tanquam rei indivisibilis) invitos cogi non posse; ac pariter subditos, jus contradicendi aliquatenus habere *Tuschus lit. f. conclus.* 151. *Ego consil.* 25. *part.* 2.

6. At si apud populos eos, qui fœmineum Imperium ferre didicerunt, quis Fœminam, Regni alicujus hæredem, uxorem ducat, individuam propter consuetudinem vitæ; potestatem quoque perpetua unitas constituta, & ita Monarchia manere censetur. Hocque in casu interdum Fœmina ipsa regnat, & ex pacto adimitur

Marit

Marito imperandi poteſtas; ut factum olim in Anglia fuit, cùm Philippus II. Rex Hiſpaniarum duceret Mariam; Angliæ Reginam. *Thuanus lib.* 13. Quo caſu ejuſmodi Reginæ, Reges etiam nominari poſſunt. *Arumæus vol.*4. *juris publ.fol.*236. b. Maritus autem eſt loco Auguſtæ. At verò ſi Rex & Regina, junctim Imperium adminiſtrent; ut olim Ferdinandus Arragonius, cum Eliſabetha Caſtiliana, & nuper Albertus Auſtriæ Archidux, cum Iſabella-Clara-Eugenia, Hiſpana, aut etiam, ſi Maritus imperitet ſolus: eo tamen in caſu, Maritus majeſtatem habere, minimè putatur; cùm ejus poteſtas perpetua non ſit; ſed quaſi Curatorio tantùm nomine, Regnum adminiſtret: illudque mortua Uxore, Agnatis vel liberis, cedere cogatur. Quemadmodum olim Filiæ Johannæ, Caroli V. Imperatoris Matri (Philippi Auſtri Uxori) Ferdinandus, poſt mortem prædictæ Eliſabethæ, Caſtilianum Regnum conſignavit.

7. Unius porro Imperium, duas formas habet; Regalem ſcilicet & Dominicam Monarchiam.

8. *Regem* vocant, qui plenum quidem Regnum habet (παμβασιλείαν vulgò dictam) ſed tamen ſalva libertate ſubditorum, eorumque bonorum proprietate. Et eſt hoc Imperium liberale, adminiſtrationiſque domeſticæ regimen æmulatur. *lib.*3. *polit.cap.*11. *& ſeq. Bodin.*2. *de Repub.cap.*2. *& cap.*3. *à princ.*

9. Et ſic poſtquam populus Romanus, quaſi ad

ad Senium vergens, seu ut loquitur Lactantius *lib.ult.cap.*15. ad alteram infantiam, revolutus, Cæsaribus patrimonium suum regendum permisit; *Am.Marcell.lib.*14.*l.*2.§. 11.*d. O.I.* ac ideo L. Regia, omnem quam pridem habuit populus potestatem, transtulit in Augustum: tunc inibi Imperatores, summam potestatem obtinuerunt, Regnumque plenum effectuum fuit. Sicque errare videntur, qui Romanum Principatum, non verum Regnum esse censent: nam sanè ea Imperii forma, etiamsi ex Augusti, aliorumque bonorum Principum æstimetur institutis: haud tamen diversus à Regno fuit. *Barcla. contra Monarchomachos,* 2. *fol.* 294. *Ego de appellat. cap.* 8. *sect.* 3. Nam semper Kalend. Ian. ac qui post eum fuerunt alicujus pretii Impp. acta, & quæ acturi essent ii, qui tum in vivis erant, omnia juramento populi fuerunt adprobata. *Lipsius ad Tacit.* 16. *annal. num.* 39. *in excurs. fol.* 540. & qui dissentiunt, umbram sive simulachra, ex vetusta libertate reliqua, inaniter pro re, sive corpore amplectuntur.

10. Tale etiam hodie Imperium est Gallicanum: postquam nempe vetustiorum Ducum, Comitumque, Nortmaniæ scilicet, Britanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, &c. ditiones, ac Imperium, in unius Regis potestatem coaluere. *Barclai. in Icone animor. cap.* 5. *fol.* 144. Et ita Ludovicus XI. jactitare solebat, sua potissimum opera effectum fuisse, ut Regnum Gallicanum quasi ex tutela, ad plenam Pubertatem fuerit redactum.

ctum. Nam antea Regnum illud, haud parum Aristocratici Imperii admixtum habebat, *Lehman.2.cap.4.* Sed tandem Senatus ille, qui Regibus prius adesse consueverat (Parlamentum scilicet Parisiense, sive Curia colloquii & collationis, à Gallico *parler* dicta) in Iudicum curiam transmutatus; eique omnis Regni procuratio adempta; & ad Rempublicam pertinentia negotia, consilio privato, seu *d'estat*, à solo Rege dependente, translata: & ita Imperium illud, Regnum plenum effectum fuit. *Ego de appellat. 2.sect.16.* Proindeque illius Parlamenti auctoritas, non minuit Regis potestatem: cùm & invito illo, multa à Regibus gerantur, eique tantum competat votum consultivum. Hucque allusit Elector Moguntinus, apud Sleidan. 1. cùm ait: Multi fuerunt olim in Gallia Principes, nunc autem in angustum eorum numerus est redactus. Nam Rex propè solus, omnia tenet. Animi fortitudinem Francisco tribuunt, sed ad Monarchiam ille spectat, &c.

11. Et etiam Castellanum, ac alia pleraque, imò omnia Hispaniæ Regna, hujus primæ speciei existunt. *Covar pr. quæst.1. quæst.1.* Quamvis enim Arragonæ & Navarræ Regna maximè olim libera essent: hoc tamen tanquam bello partum, absolutè Regi Hispaniarum subest: & teste Petro Matthæo, inter gloriosissima à se facta recensuit Philippus II. quod Arragonios in ordinem redegit; & iis, eminentia, quæ antea habebant privilegia ademit, Magistratumque

(qui

(qui Iustitiâ Arragoniæ dicebatur, custosque libertatis erat) abrogavit.

12. Est & idem in Anglia Status; *Smith de Repub. Anglic. 2 cap 4. & 5.* nec jus esse videtur Ordinum conventui, sive Parlamento, præfractè Regi contradicendi, sed tantummodo dissuadendi. Marselaer. 1. *de legat. fol.* 130. Nam certè cum Nortmanniæ ille Spurius, Guilhelmus dictus, Anglicanum Regnum occupavit: id factum fuit vi: legesque tulit, nullas accepit. *Selden. 2. Iani Anglorum.*

13. Scotiæ quoque Regnum, Imperiis verè Monarchicis adscribit Rex Iacobus, *in oper. fol.* 187. ubi ait: *Reges in Scotia, ante omnes Ordines seu Status institutos, ante comitia ulla celebrata, legesque latas fuisse.* Et ita leges à Regibus, non à legibus Reges institutos. Regem esse dominum omnium bonorum directum; & quoscunque possident subditi agros, esse ipsius, tanquam supremi domini feudi. Plenum itidem Regnum est, in Florentino Ducatu; quale plerumque subsequitur armis oppressam libertatem.

14. Dominica verò Monarchia, tunc intelligitur; cùm Princeps sibi subjectis, ut paterfamilias servis imperat; & ita simul corporum ac rerum dominus existit: aut ubi tam rigidum imperium in subditos cogitur observare, qualis Dux belli erga milites suos necessariò usurpat. Et tale quidem imperium, Barbarorum ingenio, atque inclinationi, inprimis conveniens est;

quos utpote Aristot. *in pol.* non uno loco, naturâ servos adpellat. Et qui ideo serviliter sunt tractandi, ac cùm cedere nolint ferulæ, ferrea virga sunt regendi.

15. Taleque Imperium describitur Daniel. 5. *vers.* 19. Quos volebat, interficiebat, ac quos volebat, humiliabat. *R. P. Adam. Contzen.* 1. *polit.* 15. *num.* 3. Ejusmodi item Imperium illud esse videtur, cujus jura seu mores, Samuel. 2. *Reg. cap.* 8. proponit. Quodque Romanis tam exosum fuit: & quod Assyrii ac Chaldæi, Persæ item ac Ægyptii (inprimis postquam omnia eorum bona proprietatis jure, ad Regem pervenerunt, *Genes. cap.* 47.) Parthi, aliæque Barbaricæ nationes consimiles, in usu habuerunt; eoque mediante, facilius vicinos subegerunt. Tale item hodie Saracenis in usu est, omnibus puta Africæ Regibus, & item Turcis: apud quos summus honoris titulus est, infimum sui Imperatoris mancipium indigitari. Hanc pariter imperandi formam, Mammaluci sive Egyptii Soldani, superiori seculo; & etiamnum hodie Moscovvitæ, amplectuntur; qui Basilidis inauditam in aliis locis Tyrannidem, æquanimiter sustinuerunt; quorumque uxores, minus à maritis se amari credunt, si non rigidè verberentur. *Thesoro politico part.* 1. *fol.* 383. *Paul. Odenbornius in Basilidis vit.* Usurpatur itidem Imperium hocce ab aliis gentibus, quæ in Africa & Asia dominantur: puta Abyssinis (quorum Princeps *Prestegan*, quod idem est ac Apostolicus; ridicu-

lè

lè verò à nonnullis *Presbyter Iohannes* indigitatur) Sinensibus (quos Lusitanica pronunciatio, Chinenses, qui sibilum exprimere nequeunt, vocat) magno Magor. *Respublica Belgica, ubi de India. fol.* 127. aliisque.

16. Et usurpatur hoc Imperium à Regibus Senatu quoque, ac populo in provinciis devictis: quarum sanè status, etiam sub Romanis satis durus fuit. Sic & Franci, talem imperandi rationem, in Alemanniam induxerunt: indeque reliqua est servitutis quædam species, **in den Leibeygnen Leuten** / ut & in iis bonis, quæ **Schupfflehen** vocant: quod in capite de servis dicam.

CAP. V.

DE ELECTIONE ET *Successione Regia.*

1. CUM verò in Monarchia, tàm Dominus quam Rex, vel nascatur, vel eligatur; nova iterum Monarchiæ divisio exsurgit, quod scilicet quædam *electiva*; alia *successoria* existit.

2. At quamvis in electivo Regno, prona via sit ad mixturam, summæque potestatis temperamentum: cùm nempe iis qui eliguntur, certa *Capitula* præscribuntur, secundùm quæ debebant regnum administrare. Quemadmo-

dum hodie in Imperio Romano accidit, ubi semper antequam Cæsar, vel Rex eligatur, Capitulationes conscribi solent; quibus is, qui eligendus est, se astringere, & aliquando summa potestas, limitari, determinarique solet; minimè autem dici potest, Imperium electivum, ex se respuere absolutam potestatem; nam & vetustissimi Imperatores, quibus lege Regia absoluta potestas tribuebatur, à Senatu vel militibus eligebantur. Quo etiam intuitu, *apud Sozomen. histor. Ecclesiast. 6. cap. 6. & apud Theodoret. in histor. Tripart. lib. 7. cap. 6.* Valentinianus Imperator dicit, me ad imperandum deligere, O milites penes vos erat; sed cùm jam à vobis sim delectus, vos qui meo jam Imperio subjecti estis, conquiescere; me autem, utpote Imperatorem, quid agendum fiet, considerare decet. Sultani etiam Ægyptii dominicè imperitabant, & nihilominus electio ibi, tam strictè observabatur, ut nec potuerit Principis præmortui filius, pervenire ad Regnum, sed alius ex legis necessitate eligendus fuit.

3. Electio porrò, sui quidem natura, præstantior censetur, cùm nempe ea mediante, optimus sumi queat: ubi verò jus successionis viget sors verè cœca prævalet, & quandoque nativitas suggerit eum qui omnium minimè idoneus existit. Attamen successio interdum tutior apparet, propter interregni incommoditates, & affectus electorum, vitiosamque & turbulentam eligendi rationem, quibus olim multa Regna,

damna

damna maxima sunt perpessa. Nec infrequens est, ut aliquid per se bonum sit; quod tamen habito respectu ad subjecti conditionem, inconsultum videatur adhiberi. *ut latè deduxi in tract. de success. & elect. in princ.*

4. Sæpè autem dubitari, imò inter Regiam familiam & Ordines, controversia admodum periculosa oriri solet, an hoc vel illud Regnum electivum, num verò successorium existat? Et Hungari contra Ferdin. I. Regem Romanum, ex pacto jureque hæreditario (qua nempe Ludovici ultimi Regis Sororem, in matrimonio habebat) Successionem in Regnum prætendentem, tam obstinatè jus suum urserunt, ut Turcicæ perfidiæ se committere maluerint, quàm sceptris hæreditariis eum potiri. *ut ex Hungarica historia Stephani Istuanfi patescit.* & tamen ex cap. licet, extra de voto apparet, Regnum Hungaricum jam olim Hæreditarium fuisse.

5. Bohemis itidem in casu vocationis, jus eligendi Regis, indulget Caroli IV. aurea Bulla, *cap.* 17. & consentit die Böhmische Landsordnung. Sed tamen textus ille ita est intelligendus, si Familia, quæ semel ad Regnum pervenit, penitus intermoriatur: ea enim durante, gradu qui proximus est, excludi minimè potest, ut operosissimè Goldast. *in tract. singul. de Bohem* deduxit.

6. Imperium quod attinet Romanum, illud ab Augusto, & dum Romæ fuit, electivum, sub Francis, & apud Græcos, ut plurimum successi-

vum erat: sed verò quamdiu est apud Germanos, Electivum extitisse videtur. Unde Gunther. *lib.* 1.

Regibus est aliis, potiundi jure paterno,
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit hæres.
Nos quibus est melior libertas, jure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclyta Principe sedes.
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.

7. Notoriè etiam Electivum est Polonicum Regnum: Danicum verò ad successivum vergit: Suecicum autem ex electivo, artibus Gustavi Erici hæreditarium factum fuit.

8. Veruntamen electiva Regna, triplicia esse censentur: primò etenim nonnunquam, ex omnibus eligitur Princeps, quæ electio liberi voti indigitatur: nec ibi refert, Peregrinus, vel etiam ignobilis, in Regiam sedem introducatur. Et sic Poloni olim suum Piastum, agriculturæ & mellificii studiosum, voto liberrimo elegerunt; ac à stiva & vomere, in Regni solium deduxere Primislaum Bohemi; ac Milites Romani, ullo sine generis intuitu, quandoque sumpsere Imperatores. Sicque Justinus, qui Justinianum adoptavit, Bubulcum patrem; ipseque Augustus argentarium habuit avum, patrem adstipulatorem. *Cic. epist. ult. ad Q. Fratrem.*

9. Interdum (secundò) ex certo hominum genere, sumitur Rex: & ita olim in Israelitico Regno alienigenam eligi, ab ipso DEO prohibitum

bitum fuit. *Deut.* 17. *v.* 15. Ac pariliter ad fastigium Romano-Germanici Regni, ob legem Imperii, ab Othone III. ut quidam putant, sancitam, non nisi Germanus evehi potest. *VVindeck. in comment. de elect. c.* 19. *fol.* 53. *Arumæ. ad aur Bullam, discurs. 2. thes.* 3. *& seq.* At quamvis post Fridericum II. Hispanus & Anglus, ante Rudolphum I. ad Imperium vocati fuerint: hoc tamen factum est vitiosè, & in Republica turbata, nec illi Imperio sunt gavisi. Quodque Franciscus I. Galliæ Rex, una cum Carolo V. ad Imperialem dignitatem adspiravit; sique Sleidano fides adhibenda, adstipulatoribus non caruit, etiam inter ipsos Electores: hoc Gallicanæ machinationi contra Imperium, adscribo.

10. Quandoque (tertiò) ex domo Regia, necessariò sumi debet Princeps. Et sic apud Abyssinos, mortuo Rege, haud proximum agnatum, sed qui magis idoneus Optimatibus videtur, Regem nominari, ex Alvaresio recenset Bodin. *meth. histor. cap.* 6.

11. Plerumque autem in omni ferè electivo Regno Filii, proximorumque defuncti agnatorum (haud quidem ex necessitate) non exigua solet ratio haberi: & inde in Imperio Romano, tàm Latiali, quàm Germanico, quandò id ad unam stirpem pervenit, diu apud eandem mansit; ut factum post Augustum, aliosque Imperatores, ut & tempore Othonum, Saxonum, Friderici I. aliorumque Suevorum, inprimis etiam Austriæ Archiducum. Hujus etiam rei, stirps Oldenbur-

gica in Danico Regno, documento esse potest. Sic & in Polonia, Jagellonica stirps ita honorata fuit, ut Stephanus Bathori cùm ea conditione fuerit electus, ut duceret ex illa Familia Virginem, quamvis jam effœtam: ac itidem Sigismundus Suecus, intuitu Matris ex eadem Familia descendentis, electus fuit.

12. Ubi nullæ sunt electioni certæ leges accuratè præscriptæ, nec ad paucos Electio est redacta; ibi plerumque turbæ exoriri solent: ut olim Romæ, in Suecia item ac Polonia sæpius fuit factum. Et ita electio legitima habetur, quæ secundum leges, & instituta Reipublicæ peragitur. Eaque ratione Electiva Regna, quò ad modum eligendi, multifaria existunt.

13. Et quidem in Imperio Romano, Electioni certum modum præfigit Caroli IV. Aurea Bulla: à Sigillo, aut Græca voce βυλή. (quasi sit consultum, sive scitum) ita dicta. Et quidem septem Electoribus, plenarium ea tribuit Ius eligendi; quamvis Cutsemius in Saxonia Catholica, secus olim fuisse, operosè probare conetur. Nempe omnes Principes votum habuisse; post Officialibus primariis prætaxationem (ut loquitur Albert. Stadensis) hoc est jus nominandi, salva confirmatione aliorum Magnatum, competiisse: sed videri potest Windeck. *in tract. de Elect.* qui optimè hæc explicat.

14. Pontificis Romani electionem olim perperam, & magno cum scandalo, Imperatores sibi

bi adscripserunt: eoque nomine cruenta sæpe in Italia (ab Henrico præsertim I V. Friderico I. & I I. aliisque) concitata fuerunt bella. At eam soli nunc obtinent Cardinales, eaque prudenti, ac verè politico judicio ita coërcita est, ut in certo ac tumultuariè ædificato conclavi, frequentius per scrutinium, interdum etiam per adorationem, ut vocant, fieri soleat. *Bellarm. de Clericis,* 1. *cap.* 9. *& seq. Mercure François tom.* 1. *ubi de electione Pauli V.* Conclavis autem usum, Gregorio X. qui anno Christi 1274. imperitavit, attribuit Panphinius *in additionib. ad Platinam in ejusdem Gregorii vita.*

15. Illud porrò, quod successione defertur Regnum, in *Hæreditarium,* seu patrimoniale, & *Gentilitium*, seu Legitimum vulgò discriminatur. Et quidem Legitimum, ad Feudi ex pacto & providentia naturam accedit. Patrimoniale verò, Feudo hæreditario simile existit.

16. Hæreditarium enim, seu Patrimoniale dicunt, ubi ex Testamento vel eo non condito, ex causa intestati; sed habito tantùm respectu ultimi possessoris, sicque hæreditario jure transmittitur Regnum.

17. Legitimum seu Gentilitium vocant, quod Universæ Familiæ sive Genti confertur, & secundum Legem Regni fundamentalem datur. Sicque legitimus successionis intuitu habetur Principatus, ubi Legis vel consuetudinis provisione, certæ personæ, non ut hæredi, sed secundum generis vel sanguinis prærogativam,

conſertur poteſtas: quemadmodum, nunc verè ubivis receptum eſſe, Ludovicus Molina tradit, *tract.* 2. *diſput.* 626. Quamvis etiam non pauca Hæreditariorum Regnorum, tàm in Hiſpania, quàm in Neapoli & Sicilia, inveniantur exempla.

18. Et quidem, ſi jure hæreditario deferatur Regnum, ſucceſſor, defuncti (utpote à quo cauſam habet) præſtare factum; & ideo omne æs alienum exſolvere tenetur; quod ſecus eſt, ubi ex lege, in jus Regni ſuccedi ſolet. Quamvis nec in Hæreditario Imperio, prodigaliter liceat abſumere Coronæ bona. Et viciſſim in Legitimo (quin & in Electivo) Regno ad ſolutionem obſtrictus omnino eſt ſucceſſor; ſiquid prædefunctus, neceſſitate urgente, utilitateve inſtigante contraxit, aut promiſit; ut in cauſa Chriſtierni contra Daniæ ſtatus, pro Marchione Brandeburgenſi, reſpondit Schrader *in conſiliis ſuis.* Ne ſcilicet, qui fidem ſequitur Principalem decipiatur; & etiam alias nemo cum Magnatibus contractum iniret.

19. Ex eademque ratione in hæreditario Imperio, Teſtamento, vel ſimili alio, ultimi elogii genere, de Regno ſuo diſponere, pro arbitratu arrogationeve aut adoptione, Filium ſibi facere potis eſt Princeps. Molinæus *ad conſuet. Pariſ.* §. 13. *gloſſ* 3 *num* 9. Integrum itidem eſt Principi in hæreditario Regno, libero quem velit voto, ex ſuis eligere filiis. Sic; Primogenito prætérito, Salomonem elegit David. *l.* 3. *Reg. cap.* 1.

&

& parilia obviam sunt Exempla in Hispaniis, Anglia, Burgundia, & Sicilia utraque.

20. Proindeque propriatim pertinet ad hæreditarium Regnum, axioma illud, quod suggerunt Interpretes Iuris: Principem, scilicet in testamento condendo, ad nullam juris solemnitatem astringi; sed sufficere, si modo constet, de perfecta voluntate. Sicque olim per annuli traditionem, Regna legimus translata: *Fornerius* 1. *select. cap*. 3. & ita Alexander Magnus, sexta decubitus die, præclusa voce, exemplum digito annulum, Perdiccæ dedit, eoque gliscentem amicorum seditionem sedavit: quasi & si non voce nuncupatus hæres, judicio tamen electus videretur. *Iustin. lib*. 12. Hocque privilegium, cùm non immediatè concernat absolutam potestatem, etiam Germanis Principibus, competere videtur. *argum. l*. 31. §. 1. *de legib. Ego consil*. 273. *part*. 6.

21. Econtra Testamenti factionem, respuit legitimum Regnum. Et ideo inibi haud potest Pater scribere hæredem, alterive, quàm cui lex defert, relinquere Regnum, quamvis Ordinum consensus accedat. Et ita Carolus VII. Galliarum Rex, cùm à proprio suo Patre, accedente Parlamenti scitu, successio in Regno Gallicano, Angliæ Reginæ adjudicata esset, ad mucronem gladii sui appellavit. *Girard. lib*. 21. *Pasquier*. 5. *cap*. 7.

22. Ut nec, si metus subsit, ne mortuo Principe, de Regia successione controversia suboria-

tur, eam, dum vivit, definire potest Princeps. Sicque Henricus ultimus Lusitaniæ Rex, non potuit cum effectu declarare, quem debeat habere successorem: nec etiam Judices vel Curatores constituere, qui hoc facerent post ejus mortem: cùm nemo queat ultra vitam imperitare, ut hoc latè deducit Hieron. Connestagius *in historia Conjunctionis Lusitaniæ cum Regno Castellæ*.

23. Non tamen prohibitum censetur, etiam qui ex Lege est, successorem mente captum, prodigum, vel aliter ad imperandum non idoneum à successione removere: quod tamen sine præjudicio filiorum illius non idonei, intelligi debet; maximè si jam fuerint nati. Quemadmodum etiam Pater renunciare successioni (Legitimæ vel Feudali) sibi delatæ nequit: eaq; re præjudicium solum creatur, liberis nascituris. Nec potest jus constituere Primogenituræ, in detrimentum filiorum jam natorum.

24. *Ascendentium* successio, haud secus ac in feudis, *Rosenthal. cap. 7. quæst. 14. num 8. & 9.* non hîc locum habet: nisi cum Principatum Pater aut alii ex Majoribus, prius obtinuerunt. Sic quoque Viduæ Matres, filiis in Regnis à paterna linea profectis, nullo modo succedunt: quod & jure Romano veteri receptum fuit. *tot. tit. Instit. de SCto Tertull.*

25. At verò tam in Legitimo, quam hæreditario Regno (si pater non aliud constituerit in Testamento) Imperium uni tantùm ex pluribus

ribus filiis cedit; nec enim illud sine status diminutione dividi, aut à pluribus administrari potest. *Bodin.6.de Repub.cap.5.*

26. Ac quidem ex communi gentium more, *Primogenitus* cæteris præfertur; & inde ejus Legitimam, totum esse Regnum dici solet. *Tiraquell.præfat.tract.de Primogenitura. per discursum.* Quin & primogenito cedunt Regni incrementa (Provinciæ putà noviter partæ) dummodo illa Coronæ unita, vel etiam viribus Regni fuerint acquisita. Sic & Bombardæ, Aulæq; supellectilia, & alia mobilia, sine quibus Regnum consistere nequit, ad Primogenitum spectare videntur: pariter ut instrumenta, pertinent ad fundum instructum. *quod Bocer. in tractat. de success.feud. deducit.*

27. Liberis autem natu minoribus, vel annuæ Pensitationes, vel portio quædam Regni assignatur certa; quàm à Primogenito ut Feudum, vel aliter recognoscant. Galli *appennage* vocant, quasi ad panem & sustentationem datam. *Pasquier 7.des recherches.cap.18.ad fin.* Ac sanè ut crudelitas approbanda non est Turcarum, qui Fratres Regni incapaces, statim occidunt; ita quoque videre debet Rex, ne magnam nimis potestatem, auctoritatemque Fratribus concedat: & inde viam perniciosam factionibus sternat.

28. Interdum secundogenitis separatæ Provinciæ dantur, si à Regno sint sejunctæ: & ita ante aliquot annos, datum fuit Belgium, Sere-

nissimæ Isabellæ. Acsuadent hic Statistæ; in Ducatu vel Comitatu, ubi jus viget Primogeniture, haud omnes filios parilis dignitatis nomen usurpare debere: absonum enim est, Principem vel Comitem, absque Ducatu vel Comitatu esse.

29. Et etiam inter Electores, vigore Aureæ Bullæ, cæterosque Germaniæ Principes, regulariter locum esse Primo-Geniture, pluribus deduxi *in tract. de success. & elect. lib.* 1. *dissert.* 6. Idque cumprimis Familiarum decus, & Imperii etiam incolumitas, exigere videtur. At certè apud Catholicos, media aptissima habentur secundo-genitis commodè prospiciendi, divisionemque impediendi; per Episcopatus scilicet Canonicatus, ordines equestres, &c.

30. Quin & magis est ut dicamus, eum, qui in Germania prætendit Ducatum, aliudve Feudum dignitatis dividi non posse, fundatam habere intentionem: cùm id conforme sit Feudistici juris sanctioni. *cap. Imperialem. de prohibita feudi alienat. per Frider.* Imò etiam, ubi Ducatus in portiones distrahuntur, quandam ferè semper inibi retinet Senior prærogativam: ut nempe Feuda conferat, Majorem cæteris capiat portionem, &c.

31. Et quidem ubi in aliqua familia, jus Primogenituræ viget, ibi semper posteri primò nati, nunquam ab aliis, ob ætatis prærogatiuam excluduntur. Sicque Filii primogeniti, si is ante Patrem moriatur, in locum Patris succedunt: nec

nec à patruo prævertuntur. Primogeniti enim filius, ob spem in Patre radicatam, jureque repræsentationis, patruo potior existit. *Arumæ ad auream. Bull. discurs. 4. thes. 5. Enenckel. de privilegiis parent. privileg. 3. cap. 1. num. 23. & cap. 4. per. tot.*

32. Differt namque à Primogenitura *Majoratus*, sive Senioratus: ubi quippe ætate prior in tota familia, Castrum vel simile quid habet; idque non ad descendentem, sed ad seniorem semper agnatum transmittit: ut aliquando in Germania, & alibi fieri solet.

33. Primogenitus à nondum Rege procreatus, etiam nato post adeptum Regnum, præfertur: est enim tempore mortis, Filius Regis, ac quoque primogenitus; nec excludi debet filius à patris dignitate, quam is post ejus nativitatem acquirit. *Tiraquell. de primogenit. quæst.* 31.

34. Deficientibus Liberis, defuncti frater succedit: vel eo haud superstite, Agnatus (linea, non gradu vel ætate) proximior. Quod & Duces Aldenburgenses contra. Vinarienses obtinuerunt. *Peregrin. consil. singul. ius tract de jure fisci juncto.* Idque ex ratione jam antea dicta; quia nempe in Regno Legitimo, nativitas cuicunque dat jus radicatum, & ad omnes posteros transmissibile: quamvis Goldast. *in suo Seniore,* operosissimè contrarium demonstrare conetur.

35. Et porrò successio Regia, datur in infinitum, &c. Sic & jam olim Bald. prædixit, Valesiis Borbonios successuros; etiamsi ultra decimum

mum sint gradum. Quod & factum fuit, cùm intermortua Valesia familia, Henricus IV. post longam seriem ad Regnum pervenit.

36. At ab Imperii excluduntur successione (præsertim apud Christianos) extra matrimonialem complexum prognati. Sed verò Barbaricum planè est, quod Turcæ, aliæque consimiles gentes, inter filios Legitimos, & ex concubina prognatos, nullam differentiam agnoscunt. *Pet. Greg. Tholos. 7. de Repub. 8.*

37. Hæcq; naturalium remotio, eo usque extenditur, ut ne summus quidem, seu absolutè imperitans Princeps, Filium naturalem, in præjudicium Legitimi hæredis, ad Regiam successionem habilem reddere queat: nisi per nuptias subsecutas. *Tholos d. cap. num.* 12. *& seqq.* Ac etiam in negotio Successionis Portugallici Regni, Rex Hispaniæ, ipsi Pontifici, se non pariturum respondit; si Antonium nothum legitimare vellet. *Connestagius in historia occupat. Portugallici Regni.*

38. At verò succederet forsan per matrimonium subsequens legitimatus, etiamsi id fieret in articulo Mortis; ac licet à viliori Matre editus esset. *Sarmientus* 1. *quast. illustr. cap.* 6. *per cap.* 6. *extr. qui fil. sint legit. & Novell.* 12. *circa fin.*

39. *Fœminarum* verò imperium, quamvis nec Divina, nec naturæ Lege prohibitum videatur, eæ tamen omnium ferè gentium recepto usu, ab Imperii successione excluduntur. Non solùm propter multas incommoditates, quæ subo-

suboriri solent, si fœmina obtineat sceptrum; sed & ne Regnum extra Familiam, aut etiam ad peregrinos pervenire possit. Hincque Fœmina remota, exclusi etiam censentur Masculi ex Fœmina descendentes. *Castil.qq cap*, 2 *&* 4. Quia nempe infecta radice, infectum est omne id, quod ex ea succrescit.

40. Inprimis autem Galliæ Regnum; non patitur Fœminarum Successionem: idque ut ajunt, vigore famosissimæ illius Salicæ Legis; quæ propterea Salica, quasi aulica, vocatur.

41. Regna tamen quamplurima inveniuntur, Hispanicum inprimis atque Anglicanum; ubi licet fœminis locus pateat, ex Regni consuetudine singulari; nihilominus Masculo filio existente, succedere fœmina nequit, etiamsi eo ætate sit major. *Andr.Tiraquell. quæst.* 10. *num.* 8. Plerumque verò Agnatis ex latere, filiæ præferuntur: secus ac in feudis. Nam Regnum, non nisi propter tranquillitatem, & in solatium Regis, liberis masculis carentis, ad Regias filias pervenire solet. *Molina disput.* 625. Sicque etiam nuper, Lotharingiæ Ducis filia Patri successit, patruo remoto.

42. Et item Primogenituræ jus, pertinet ad Fœminas quoque. Unde primogenitæ Filia, matertera potior est; primogenitæque gnata, secundo genitæ filio quoque præfertur.

43. At verò, si ultimus Regni ad Fœminas transitorii possessor, in liberorum solitudine moriatur; tunc ad proximum ex Mascula linea descen-

ſcendentem; vel ſi talis non exiſtat, ad Maſculum ex fœmina prognatum; vel fœminam, gradu proximiorem, ſucceſſio ſpectat: jure tamen primogenituræ, & linearum prærogativa, ubique obſervari. Qua de re, in ſucceſſione Luſitanica pluribus agunt Conneſtag. *lib.* 3. & Thuan. *lib.* 65.

14. Regni tandem ſucceſſio, ut eo magis integra ſervari queat; *Gentilitia pacta*, & ex iis pactitii hæredes ſunt inventi: **Erbeynigungen** vocant; eorumque vigore, una Familia deficiente, altera ſuccedit. *Vide Nic. Betzium tract. de pact. famil. illuſtr.* Et illa, licet re ipſa, ſeparata ſint à fœderibus hæreditariis, quæ **Erbverbrüderunge** nominantur; ſæpius tamen concurrunt. Eſt autem Familiæ pactum illuſtre, inter Saxonicam & Haſſiacam Domum; ac utriſque ea ratione conjunctus erat, & etiam ceſſit Hennebergenſis Comitatus. Saxonica quoque Electoralis Domus, cùm Marchionibus Brandenburgenſibus, talem cognationem habet; hique cum Pomeranis & Megapolitanis. Fuit & olim conſimile pactum, inter Auſtriæ Archiduces, & Bohemiæ Reges, Luzelburgicæ ſtirpis; ejusque vigore, Bohemia Auſtriacis ceſſit. Qua de materia videri etiam poteſt meus *tract. de ſucceſſ. & elect. Regia lib.* 1. *c. ult.*

45. Et ea porrò pacta, interdum non reciproca exiſtunt: quale eſt inter Auſtriacam & Wurtembergicam Domum. Omninò item atq; regulariter, liberam impediant teſtandi facultatem

tem: Imitantur quippe naturam familiæ fideicommissorum; ac si admitterent Testamentum, planè elusoria essent; secus ac Bocerus *de success. feudal.* evincere conatur. Requirunt etiam ab initio Domini Beneficialis, aut si liberum sit Regnum, Ordinum assensum.

46. At Regalis si stirps extinguatur, situm est in Ordinum potestate, quem sibi velint eligere Regem, aut etiam possunt Reipublicæ immutare formam.

47. Est & hoc notatu dignum, adprobationem & confirmationem Regis, haud necessariò Electionem importare; sed & in successorio Principatu, locum habere posse. Est enim repetitio fundamentalium legum, sub quibus Regnum ab initio est constitutum. Quamvis Franco Galliæ Reges, ante Coronationem, Regio titulo abstinere soleant.

48. Imò, non necessariò, ad constitutionem Regis, inauguratio sive Coronatio requiritur, tam in successorio, quàm in electivo Regno: & ita Clemens V. Pontifex Max. excommunicatione notavit eos, qui dicere sunt ausi; Pontificem non posse, priusquam fuerit coronatus, ea facere, quæ post Coronationem. *extravag. com. ult. Alphons. Modit. in* §. *lex est, dubit. 4. num. 7.*

49. Summis autem Principibus, ante eorum excessum, num futurus designari possit, & debeat successor? in thesi vix determinari potest: verùm ex circumstantiis, casu eveniente, di judi-

dijudicare debet. In succeſſorio ſanè Imperio, minorem res hæc dubitationem habet: inibique frequenter filiis, ſubditi præſtant juramentum, quandoque tamen nec propriis filiis eſt fidendum. *ut alicubi Boccalin. tradit.* In electivo autem Principatu, Ordines cavere ſolent, ne deſignetur aliquis authoritate ſolius Regis viventis, ſed electorum ſcitu; quo nomine Ferdinando I. Imperatori, controverſia olim mota fuit. Sed nec conſultum ſemper eſt ipſi Imperitanti, ut hoc fiat. Sol enim oriens magis, quàm occidens adoratur. Indeque Eliſabetha Angliæ Regina, noluit declarare etiam legitimum ſucceſſorem.

50. Quin & Filii, Succeſſoresque Regii ſingularem & eminentem aliquem titulum habent, certæ ſucceſſionis notam; certos etiam proventus, & alia privilegia obtinent:. & ſic in Gallia, primogenitus habet Delphinatum Viennenſem; indeque Delphinus: vel filio nullo exiſtente, frater, vel alius proximus agnatus, κατ' ἐξοχὴν *Monſieur* nominatur, Hiſpani Primogenitum filium vel Filiā, Principes, reliquos nominant, *Infantes.*

51. Diſputatio autem eſt intricata: Num Regius Pater in liberos ſuos, habeat Juriſdictionem, eosque ſupplicio afficere poſſit? Vt fecit Filio ſuo Don Carolo, Philippus II. Sed certè in Imperio Germanico-Romano, tentari poſſet; Principes, Comites, Nobileſque, non habere juriſdictionem in ſuos filios, fratres, &c. Verùm eos cenſendos immediatos. Vnde filii Principum, etiam ſuos Auſtregas habent. *Frid. Mindan. lib. 2. c. 19. ad fin.*

51. Huc

51. Huc pertinet etiam jus Romani Regis, qui mortuo Imperatore, sine ulla electione succedit. *Aur.Bull cap* 4. Estque is; vivente etiam Imperatore, perpetuus Romani Imperii Vicarius;à Lege,hoc est, electione & consensu tacito Statuum Imperii,ordinatus: qui ideò,Imperator si absit,non solùm nomine Cæsareæ Majestatis; sed & proprio motu, aliquid constituere potest. *Barth. Musc. de success anomal fol.* 49. *num.* 98. *Thom.Michael disput.de jurisdict thes.*29.

52. Principatus electivus, ut Interregnum; ita successorius, nonnunquam tutelam habet: Utrobique autem cautiones quædam adhiberi debent; ne scilicet illic Respublica intereat, & in Anarchiam transeat: hic verò, ut non hæredi legitimo adimatur. Interdum enim Tutores, non satis suo nomini respondent, sed tollitores sunt, quò ad effectum: ut ait Alber. *in l.* 1.*ff.de tutel.* Ac etiam alias ob rationes, nil periculosius existimatur Regno, quàm si Rex sit minor. *Pasquier.*5. *cap* 5.

54. *Interregnum* pariter, diuturnum vix esse solet, sed periculosis turbis subjacet: ut edocere potest Germaniæ status, qui post Fridericum II. & ante Rudolphum I. fuit.Hincque aurea Bulla Caroli IV. posteà introduxit Vicariatum; eumque certis familiis adscripsit: *ut jam suprà alicubi dixi.* Ei autem, an locus sit Imperatore vivente, sed extra Imperium versante? quæstio est anceps: ad quam vix affirmativè responderi potest; haud enim Imperium tunc vacat.

55. *Tu-*

55. *Tutela* Regia, aliorumque Magnatum, tutissimè Matri, cum prudenti aliquo Senatu, committi videtur: magis quàm Agnatis, aut Ordinibus regni. *Lips. monit polit.* 1. *cap.* 4. Sed hîc pater, etiam prospicere filio potest per testamentum. At certè Caroli V. Austriaci tutelam, ex fide gessit Ludovicus XII. Galliæ Rex, etiam hostis. *Bellay lib.* 1. *des memoires.*

56. Nec excluditur à tutela mater; etiam ubi fœminæ aliàs à successione removentur. Diversa namque ratio tutelæ, & successionis existit.

57. In electorali Romano-Germanici Imperii dignitate singulari, haud alii, quàm soli proximiore agnato, tutela & administratio adscribi putatur. Et hoc ideò jus, agnato proximiori, per testamentum auferri non potest: imo nec contutores dari possunt: quod in Palatinatu, variè disputatum, & libri etiam varii, hac de quæstione editi fuerunt.

58. Tandem propter incommoda, quibus obnoxium est Regnum tutelare, lege singulari, sui juris efficiuntur, Principes plerunque, aliis de plebe, maturiùs multò. Et ita in Galliis, Caroli V. Pragmatica sanctione, ætas Regia anno 14. est definita. *Pasquier 2. de Recherch. cap. ult. & lib.* 5. *cap.* 5.

CAP.

CAP. VI.

DE STATU POLYARCHICO generatim.

1. ET hactenus quidem Monarchicus Status, utcunque eſt, explicatus; nunc inſpectio Poliarchici Regiminis ſuccedit: quod iterum vel ſimplex, vel mixtum exiſtit. Et quidem, ubi ſimplex eſt Polyarchia, ibi licet imperent plures, omnes tamen unius referunt vicem: & ita ibidem collectivus quaſi eſt Principatus, omneſque, quibus clavus Reipublicæ eſt commiſſus, unius ſubeunt vicem. *l. 2. ff. quod cujusque univerſitatis nom. l. Magiſtratus, 25. ff. ad municipal.* Et qui Imperii participes ſunt, non imperant, ut ſinguli, ſed ut univerſi: ſicque exercitium Iuriſdictionis, & jurium Majeſtatis, non eſt penes quemlibet in ſolidum; ſed omnes, qui Imperii participes exiſtunt, ſimul imperant, ſinguli que obediunt. *Bodin. 2. de Repub. cap. 6.*

2. Et hinc, ſi quid deliberandum, decernendumve ſit in polyarchico ſtatu, ſemper vota ſunt numeranda; pluriumque ſuffragia, pauciorum præpollent. *arg. l. 3. & 4. ff. quod cujusque univerſitatis.*

3. In hoc etiam ſtatu, Magiſtratus, ſeu Officiales, ab iis, qui numero Imperantium comprehen-

henduntur, omnino distingui debent: hique plus juris, illi verò plus dignitatis habent. Et in Magistratus ac Officiales quoscunque, idem jus exercere queunt Optimates, vel populus, quod in Monarchia Princeps habet. Officiales itaque, respectu singulorum, obtinet auctoritatem; subditi sunt ratione collegii, penes quod est summa potestas.

4. Indeque non propterea Monarcha nominari potest, si in Polyarchico statu, unus, dignitate & experientia præ cæteris pollens, constituatur; qui majorem aliis Magistratibus habeat potestatem: ut in Republica Veneta, nunc est *Il Doge*, ac in Genuensi; Dux. Qui quidem Rectores & Executores, summique Magistratus sunt; minimè verò Principes absoluti: etenim ut loquitur Cæsar Contardus *tract. de momentanea possess. limitat. 22. nu. 15. & seq.* Dux Genuæ & Venetiarum, præeminentiam habent potius Dignitatis, quàm Dominium.

5. Et porrò quandoque opus est, præcipuè tempore motuum bellicorum, aliisque temporibus periculosis, ut in Polyarchico etiam statu (ad tempus) unus dignitate & experientia præ cæteris pollens eligatur; qui quasi Monarchæ, ad quem omnes respiciant, teneat locum: *Ærod. 2. rer judic. t. 16. cap. 4.* Talesque apud Israelitas fuerunt Iudices, quos perperam vocat Monarchas Iosephus, rectiùs Cardin. Bellarm. eos quasi Proreges fuisse ait. *lib. 1. de Pontif. cap. 2.* His similes erant, Græcorum Æsymnetæ, *Dn. Con-*

tzen.

tZen.1.cap.15.nu.5. Hodie Auriacus Princeps, in Belgio, &c. *ut jam suprà alicubi dixi.* Pariter in Republica Romana Dictatores plenam habebant potestatem; sed non perpetuam. *Alex: ab Alexan.gental.dier.4.cap.23.* Et Consulibus inibi, interdum mandatum fuit, ut viderent, ne quid Respublica caperet detrimenti: ubi magnam quidem, sed tamen finitam obtinebant potestatem. Sylla autem perpetuus Dictator factus; *dicente Dionysio Halicarnassæo lib, 5. ad fin.* primùm demonstravit, Dictaturam Tyrannidem esse: eamque, quod is deposuit, solœcismum Politicum commisisse, ajebat olim Cæsar; qui cùm Dictator perpetuus creatus esset, eo ipso Rex factus fuit, licet nomen recusaret.

6. Porrò, ratione numeri, simplex hicce Polyarchicus status, in species duas abit: Aristocratiam nempè, & Democratiam.

CAP. VII.

De Aristocratia.

1. A*Ristocratiam* vocant, quando conjunctim pars civium minor, seu aliquot excellentiores; tam singularim in omnes Optimates (qui nempè extra Senatum pro privatis habentur) quàm in reliquos universos, summæ potestatis jus habent.

2. Pro diversa autem eligentium ratione, dupəlx Aristocratia existit. Aut enim populus

eligit (ut scilicet perpetuam habeant potestatem, quemadmodum in Electivo Regno Princeps) aut verò Optimates, loco vacante, alium substituere solent. Quandoque item, Optimates non fiunt, sed nascuntur: & ita Venetiis, Patricii omnes, Senatum ingrediendi jus habent. *Kecker. disput. pr.* 36. *problem.* 4. Vel etiam alia ratio eligendi observatur.

3. At ubi populus eligit Optimates, qui tantùm temporalem, aut (ut sæpius fieri assolet) annuam habeant potestatem; tunc Respublica democratica esse censetur: & ii Senatores, seu Optimates, Magistratus magis, quàm Reipublicæ capita existunt.

4. Est & diversitas Aristocratiæ; in Imperantium multitudine, vel paucitate. *Bodin.* 2. *cap.* 6. Qua de re, certa regula dari nequit: modò non major pars civium, ad Imperium, admoveatur; quod faceret Democratiam. Convenientissimè autem Andreas Doria, Anno Christi 1528. in constituenda Republica Genuensis, viginti octo, Reipublicæ præfecisse videtur: qui utpotè numerus, nec magnus, nec exiguus nimis existit.

5. Respectu vero qualitatis eorum, qui eliguntur; rursus duplex est potentia paucorum. 5. *polit.* 7. *à pr.* Ac quidem *oligarchiam* vocant, ubi divites, vel genere nobiles, Rempublicam moderantur. 4. *polit.* 4. Nostroque seculo, Oligarchiam Venetiis præcipuè, & Noribergæ (quæ Venetiarum æmula) ut & Augustæ conspicere licet:

licet: ubi tantummodò Nobiles, seu Patritii, ac divites imperant. Ac licet alicubi honestiores ex plebe, Senatus participes reddantur: hoc tamen ad Simulacra magis, quàm quòd Ius dominationis ipsis communicetur.

6. Quamvis etiam interdum Oligarchiæ nomine soleat indigitari, is Reipublicæ morbus, ubi pauci imperitant, & solùm respiciunt commodum privatum: quia id frequentius à divitibus, & nobilibus fieri reputatur. Ejusque rei, in Helvetiis passim, & quoque in Germaniæ nonnullis liberis Civitatibus (ubi olim ferè, tantùm ex equestri dignitate ornatis, Senatus constituebatur, quem Ritter Raht vocabant) factum fuisse ajunt. Eoque prætextu Nobiles, multis è Civitatibus expulsi, vel Magistratu privati fuerunt. *Lehman.* 4.*cap.* 11. *&* 7.*cap.* 13. *vide Chron. Alsatiæ, Bernhard.* Hertzogen/ *ubi de reb. Argentinensib.*

7. At *Aristocratia* (cùm Oligarchiæ opponitur) speciatim vocatur ea Imperii forma; ubi dignitate, virtute, & meritis maximè insignes (nullo habito respectu nobilitatis vel divitiarum) ad Imperium destinantur. 4 *polit.* 7.

8. Et talis merè Aristocraticus erat status, in Politia Israelis, sub Senioribus & Tribuum, familiæque Principibus antequam Regnum institueretur: *Iosuæ cap.* 22.*vers.* 14. *Iudic.cap.* 1.*versic.* 2. *Sigon. de Repub. Hebræ.* ubi Judices, *ut jam suprà dixi*, non Reges, sed Dictatorum erant loco; aut quales Græcorum Æsymnetæ. Nam &

Gedeon noluit esse Rex; qui tamen Judex erat. *Iudic.cap.8.* Et erat ideò Bodin. 3.*de Repub.cap.* 7.*num.*329. qui censet, in defectu Judicum planè Anarchiam, aut cujuslibet oppidi singularem, tum Rempublicam fuisse. Tribus enim universim, reliquas quandoque puniverunt: quod est indicium alicujus communis consociationis.

CAP. VIII.

De Democratia.

1. DEmocratia, summum Reipublicæ jus, penes populum, aut ejus Partem majorem constitutum habet. Eaque politiæ forma, à quibusdam speciatim, & absolutè Respublica indigitatur. 3.*polit.cap.*5. quia scilicet ibi omnia, maximè publica, seu popularia, aut populica existunt.

2. Populus autem cùm divites, tùm tenuiores, ac tàm Patricios, quàm plebejos complectitur. §.*Institut. de jure natur. gent.&c.* Indeque plebs, ubi plus potest, tùm popularitatis species aberrans habetur; quam *Laocratiam*, vel *Ochlocratiam* vulgò vocant: qualis olim erat Romæ, cùm plebs à patribus secessionem faciens, Plebiscita sanciret, eaque Senatus, post approbare cogeretur. Talis quoque hodie forma, in nonnullis Helveticis civitatibus existit: ubi scilicet Nobilibus nulli committuntur Magistratus.

3. Ve-

3. Verùm ubi populus, rerum dominus quidem est; attamen honores & Magistratus, patriciis tantùm confert; tunc *Timocratia* vigere censetur. 2 *polit. cap.* 3. Et ita primitùs Romæ, ante L. scilicet Canulejam, Patricii tantùm, ad honores, Magistratusque admittebantur: populo nihilominus universo, sua constante Majestate. *Alex. ab Alexand. Genial. dier.* 6. *cap.* 24.

4. At duas species principaliores, Democratia habet; aut enim multitudini consultationes, & judicia (nullo existente Senatu) aut verò Magistratuum solummodò eligendorum, corrigendorumque, tributa est potestas. 3. *polit. cap.* 7.

5. Et prior quidem species (quam *liberam Democratiam* vocare licet) omnes secundum numerum censet: & nec generis, virtutis, vel divitiarum diversitas, inæqualitatem ibi inducere solet. 6. *polit.* 2. Huicque Reipublicæ formæ, unica proposita est libertas, & Isonomia, seu æqualitas juris: indeque ibi, frequentantur Agrariæ leges; quæ prohibent, ne quis nimis dives efficiatur. Ac Concio ibi omnia potest; non rarò etiam novæ tabulæ extorquentur.

6. Hinc & in tali statu, Magistratus non tàm utilitati communi, quàm multitudini placere student: in eoque multùm potest petulantia Oratorum, populiq; ductorum. *Dn. Contzen.* 1. *polit. cap.* 20. Quales olim Athenis Demosthenes, aliique complures fuerunt. Hisque similes sunt seditiosi Concionatores; quales superioribus annis in Lusitania erant, qui Philippo II.

Regi Hiſpaniarum acerrimè reſtiterunt; ac etiam in Rhætia nuper, turbulenti Eccleſiarum Calviniſticarum Miniſtri, & in Suecicis turbis Prædicantes: qui populum inprimis contra Catholicos & Cæſarem concitarunt, & Suecum ultra cœlum Empyræum extulerunt.

7. Hæc autem Reipublicæ forma, omnium propè judicio vapulat; eò quod inibi licentia pro libertate habeatur: & ita ſubitis mutationibus obnoxia exiſtat. *Bodin.6.cap.4. Petr. Gregor.5.de Republ. cap.3. num.14.&c. ac etiam 22. cap.2.* Virique nobiles & egregii, licet innocentes, per *Oſtraciſmum*, aut Petaliſmum pellantur. Quod tamen propter affectatæ Tyrannidis ſuſpicionem, neceſſariò quandoque fit, nec præter rationem: præſumitur enim, etiam optimum velle dominari, ſi poſſit; multique in rebus vilioribus probi, conſcientiam violant, Regni cauſa. Hoc item delictum tale reputatur, ut poſtquam jam perpetratum eſt, vix puniri queat. *3.politc.9. Scipio Ammirat. diſſert. lib. 14. diſcurſ. 3.* Quo ſenſu & Catulus, de Pompejo olim dixit; eſſe quidem virum excellentem, & optimè de Republica meritum, ſed jam nimium liberæ civitati.

8. Hujus tamen exemplum præbuit olim, ex parte etiam Reſpublica Romana: ubi ſemper populus ſummam habebat poteſtatem, ubi nullus ferè civis morte puniebatur. Ac licet Senatus ſua authoritate, popularem licentiam, haud raró temperaret, multa tamen populus peragebat

bat nimis licenter. Ex favore & pretio Magistratus distribuebat, nimiamque affectabat popularitatem, &c. *Polyb.6.histor. à pr.Paruta.1. discurs.* 1. Sed verò adhuc magis popularis fuit Respublica Atheniensis. *Isocrates in Areopagit. Keckerm. tract.sing.de Repub. Athen.lib.1.cap.1. num.8.* Quæ ideò postquam imperium suum in alios extendere voluit, illud domi amisit. Hîc porrò idem status, & nunc apud nonnullas Helveticas civitates, & etiam apud Rhætos viget. *Guilliman.de rebus Helvet.4.cap.2.fol.438. Sprecher. in Pallad. Rhæt.fol.* 164. *&c.* Qui tamen per licentiam nimiam, pristinam libertatem, præteritis annis ferè pessundederunt; nec sua eam virtute, sed ope aliorum, qui ad id odio Hispanorum fuerunt instigati, recuperarunt.

9. Et quidem errat omnino Machiavellus, 1. *de Repub. cap.* 2. *& Chabotius disput.lib.2.cap.4.* aliique, qui censent; Rempublicam Romanam mixtam fuisse: inprimis propter Senatus authoritatem. Sed verò summum jus, penes populum semper mansit, & judicium etiam plebi, in Patres concessum fuit, ac Senatusconsulta, à plebe confirmabantur. *Dionysius Halicarnass. lib.7. cap.*60. Semperque in eo res Romana stetit, ut in populo potestas, authoritas tantùm in Senatu esse diceretur. Hincque passim Livius: Senatus decrevit, populus jussit, &c.

10. At Democratiæ species posterior, quam *adstrictam* appellare licet, tum habetur, ubi populus quidem retinet jus summum; sed per Magistra-

giſtratus à ſe conſtitutos, omnia agit. Ubi populus neſcit ſe omnia poſſe, ſed Legibus ſemetipſum devincit. Quod tum extraordinariam poteſtatem non tollit. Id quod ICC. quidam, Politices ignari, haud animadvertentes, majorem Principem in Monarchia, quàm populum in Democratia, poteſtatem habere, abſonè prorſus aſſertant. Eamque Reipublicæ formam, amplectuntur Genevenſes, magnaque ex parte Helveticæ, Hanſeaticæ, ac Imperii Romano-Germanici Civitates immediatæ.

11. Ejusque conſpicuum etiam exemplum præbet, Reſpub. Belgii uniti. Ubi ab Ordinibus omnibus deputatorum conſenſu, qui Hagæ Comitis ſunt congregati, cuncta adminiſtrantur; iique ut plurimum poſt triennium, domum revocantur, & alii ſubmittuntur: *Vbb. Emmius tract. de urbe Groninga, fol. m,* 180. *Meteran. hiſt. bell. Belg.* 16 *fol.* 64. *add. Paul. Merul. in orat. poſthum. de natur. Batav. Reip. & Auct. tract. de init. bell. Belg. fol.* 157. *&c.* Ex quo pateſcit, provincias illas, non fœdere conjunctas; ſed ita unitas eſſe, ut conſtituant Remp. unam. Et ſanè vel præcipuum caput criminum Barnefeldii, in eo conſtitiſſe ajunt; quòd ſingulis civitatibus atque provinciis, jus Majeſtatis ſingulatim attribuit: ſicque Reipublicæ unitæ diſſolutionem, viſus fuit moliri. Multorum tamen judicio, ea Reſpublica ad Converſionem appropinquat: cùm auctoritas Patriciorum & Optimatum (ſub eo prætextu, quaſi Arminii dogma amplecterentur) à rerum guber-

gubernaculis fuerit remota; locusque ita pateat Demagogis. Principis item Auriaci potestas, nimis sit magna; militesque in ejus quasi manu constituti videantur: nec dubium esse possit, quin ille Princeps, aliquid etiam patiatur humani, & altus quàm excellens; Dominus, quàm Officialis esse malit.

12. Prior autem Reipublicæ species (libera scilicet) eò magis firma reputatur, quò propius ad hancce (adstrictam putà) accedere solet. Et ita Respublica Romana propter Senatus auctoritatem, maximè ad strictiorem illam appropinquavit. In Turbis verò Tribunitiis, admodum libera Democratia erat.

CAP. IX.

DE STATU REIPUBLICÆ mixto.

1. PERGIMUS ad Reipublicæ *statum mixtum.* Quem quidam nullo modo dari, perperã propugnant; & tantùm rationem gubernandi, mixturæ speciem quandoque autumant præbere: cùm tamen mixtus status, tunc verè existat, ubi jus imperandi ita est constitutum, ut mixturam inducat. Estque ratio Reip. administrandæ, cum jure Imperii minimè confundenda: magisque jus imperandi, quàm ratio gubernandi intuenda,

tuenda, cùm de forma Reipublicæ volumus judicare: *ut dixi suprà c.4.* Et porrò ex vulgato illo axiomate; quod Majestatem communicari, Bodin. 2. *cap.* 1. ejusque asseclæ negant, deduci non potest, mixturam haud dari. Sed hoc potius exinde sequi videtur; quod ubi Majestatis jura, non sunt penes unum, nec penes paucos, nec etiam penes populum in solidum, & absolutè; tunc nullo modo simplicem, sed mixtam Reipublicæ formam esse. *Clapmar. 5. de arcan. cap. ult. Cabotius 2. disput. 4. Petr. Andr. Canonhiero. 6. dell. introduzz. cap.* 3. Latè ego *tract. de Reipubl. statu mixto, in princip.*

2. Et differt Reipublicæ forma mixta, à simplici polyarchico statu, in eo; quod in mixto statu, non est communicatio Majestatis jurium æqualis, ut in polyarchia: sed vel proportionabiliter distributa. Fereque in tali Reipublicæ formarum mixtura, una præ cæteris eminere solet.

3. Status etiam mixtus, variationes quamplurimas admittit. Interdum enim separentur Majestatis jura, & diversa, diversis Ordinibus attribuuntur. Interdum Majestas cum Ordinibus eorumque deputatis; ex parte communicatur: Interdum etiam, præter mixturam, aliter summa potestas temperatur.

4. Et sic in Romano-Germanico Imperio, mixtum statum esse, quamplurimi etiam Catholici autumant. *Dn. Weizenegg. disput. de jure publ. cap. 7.* Eoque etiam intuitu, apud Sleidan. *lib.* 1. in voto suo electivo dicit Moguntinus; Ger-

Germanis retinendam esse Aristocratiam. Argumentum porrò sumunt, ex Capitulatione, quæ ab Electoribus, eligendo Imperatori, præscribi solet: & quam Carpzovius prolixo Com. illustravit: ex quaque apparere ajunt, non ita liberam nunc potestatem Imperatori dari, ut olim Augusto, & ejus successoribus, Lex Regia concessa fuit. Insuper quia Electores, inspiciendi, & deponendi, eoque nomine liberè conveniendi potestatem habent: inde vel eo nomine, Imperatores Majestatem coarctatam, & quasi divisam cum Electoribus censent. Ut & ex eo, quòd inibi quædam Cæsaris, Ordinumque communia, inveniantur, quæ solius Cæsaris cognitioni reservata reputentur, quædam à Cæsare aliena deprehendantur. *Vt videre est apud Denaif. in jure Cameral.* §. *Cæsaris in Imper. eminentia*, *& seqq.* Latè Paurmeister. 1.*cap.*6. ubi, in quantum Respublica Germanico-Romana, à Monarchia declinet, & ad statum Aristocraticum accedat, quasi libripens ponderare præsumit.

5. Hac autem de re, quamvis non in Scholis, sed in Comitiis, & magnorum Principum secretioribus Consiliis sit disceptandum: non absonè tamen, defendi posse videtur; omnia hæc, secundum jus ordinarium vera esse: ratione verò extraordinariæ potestatis (quando scilicet turbata est Respublica, & in casu necessitatis) rem aliter se habere. Ut nempe Imperator possit etiam Imperii Statum aliquem, Banno no-

tare, vel quorundam tantum Ordinum consensu; si ob factiones, & bella civilia, reliqui nequeant convocari, & periculum sit in mora. Sicque Imperator, ordinarium processum negligere potest, propter occurrentem extraordinariam causam. Sic & eum solum, de feudis Imperii, cognoscere, ac quem velit, de Electorali feudo aperto, investire: Imperatorem item per Aulicum consilium suum, de causis, ex constitutione pacis Religiosæ decidendis, judicare posse, quamplurimi consent, & probant. *Præsertim in scriptis, occasione negotii Donavverdensis editis*. Sanè si Ordines dissentiant, ac in duas vel plures abeant factiones; penes Imperatorem est potestas decidendi: ut exemplum habemus in Pace Religiosa, quatenus ea concernit, den Geistlichen vorbehalt. Et sanè Protestantes, qui in hisce causis, potestatem decidendi adimunt Imperatori, nec etiam se votis majoribus accommodare volunt, in effectu hoc dicunt; Imperium Romanum, planè esse Anarchiam. Nam substantialis Reipublicæ forma in eo consistit, ut sit summa alicubi potestas, quæ omnia dubia, suo scitu, decidere possit. Sed his, quæ ultra meum captum, nolo ampliùs morari Lectorem.

6. Ad hancce autem Imperii speciem, jure meliori referri videtur, *Polonicum* Regnum: ibi enim nobiles, magnam in Comitiis obtinent potestatem; & tamen auctoritas Regis, cùm electus est, in multis rebus absoluta videtur. *Stanisl. Kirzistanovvitz, tract. de statu Polon. Keckerman.*

*man. disput. pract.ult.probl. ult. Chytræus lib.23. Chron.Mercure Franc.tom.1.fol.*109.

7. Majestas,mixtim communicata censetur; ubi Monarchia cum Aristocratia, vel Democratia; aut cum utrisque, ita permista invenitur, ut neutrius nomine indigitari queat. Putà, cùm uni gubernationis præcipua, sed non soli commissa est cura: verùm aliis (qui vel plebem, vel Nobiliores, aut utrosque simul repræsentant) ejus aliquam obtinentibus, partem; vel inspectionem saltem habentibus, atq; intercessionem.

8. Horumque munus, in eo consistit, ut Magistratum summum, in negotiis justis, ope & consilio juvent; in rebus injustis, ejusdem licentiam moderentur. Eosque Ordines,Status,Consiliarios,vel Senatores Regni, *les trois Estats*; Politici Ephoros (ex usu Lacedæmoniorum) vocant: ἀπὸ τῦ ἰφορᾷν; quod ad civitatis salutem, oculos habeant intentos. *Drusius ad loca Genes.cap.*92.

9. Sicque Monarchiæ & Aristocratiæ mixtura fuit, in Israelitico olim Regno, propter Synedrion, seu septuaginta Seniores, quos & Reges ipsi metuerunt. *Schickard.de jur.Reg.Hebr.fol.7.&c. & fol.90.&c. Ioach.Steph.: de jurisd.cap.7. num.12.17,&c.Cunæus de Republ.Iudæ.1.cap.12. 17.&c.*

10. Ac fuit sanè quondam Septentrionalium gentium, ab iisque constitutorum Regnorum, constans mos; amare libertatem, nec Regibus permittere absolutam potestatem. Talisque etiam

iam adhuc videri poſſet Hungariæ ſtatus, ac etiam Sueciæ. *lib.2. Leg. Suecic. cap.4.5. & 8.* Daniæ. *Lauterbeckh* im Regentenbuch. 1. *cap. ult.* Ubi Palatini, vel Seniores Regni, Regibus adpoſiti conſpiciuntur. Ad eamque formam, olim etiam Bohemicum Regnum inclinabat. Boheimische Lands Ordnung vnd Landrecht.

11. Monarchia verò, cum Democratia, mixta fuit, Romæ: poſteaquam Servius Tullius, populo multa permiſit. *Alberic. Gentil. 3. de jur. bell. cap. 22. fol. 683. Ego de appellat. 2. num. 4.* Ut & in Germania, Taciti ætate, quamplurimis in locis. *Cluverius 1. cap. 38. & 40. ad fin. Lehman. 2. cap. 4.*

12. Sed ſimul ex omnibus tribus formis Reſpublica apud Lacedæmonios conſtabat; dominantibus ibi Ephoris, & Senatui ſua conſtante auctoritate, 3. *polit.* 10. *Polybius 6. num. 4. Cragius de Repub. Lacedæm. cap. 4.* Ut quoque in Aragoniæ Regno, antequam illius libertas, à Caſtellanis opprimeretur. Ibi enim olim communi Concilio, Regem creabant, hominemque inducebant, quem Rege majorem, ac potentiorem communi populi decreto ſanciebant; tandemque Regem his affabantur verbis: *Nos qui valemos tanto come vos, y Podemos mas que vos, &c. vos eli imos Rey, &c.* Hottom. *in Francogall. cap.* 12.

13. Status Reipublicæ ex Ariſtocratia, & Democratia mixtus habetur; in quo ita imperant Optimates, ut ſimul quoque Imperii particeps popu-

populus exiſtat. Id quod hodie in pleriſque urbibus majoribus contingit: ubi Mercatores & ditiores cives omnes participes quoque eſſe cupiunt rerum gerendarum. *Keckerman. politic. 2. cap. 5.*

14. Statum itidem mixtum agnoſco, ubi Majeſtas Legibus fundamentalibus, non quo ad conſtitutionem ſolùm: ſed & ratione adminiſtrationis coarctatur; certæque imperandi præſcriptæ ſunt Leges. Vnde Imperium illud κτ̀ νόμον, ſeu legitimum, non uno loco ab Ariſtot. indigitatur. Et ita in Belgio ſemper uſitatum fuiſſe fertur, certis privilegiis, rituumque formulis, adſtringere Imperantes. *Meteran. paſsim, præcipuè lib.* 14.

15. Leges & privilegia hæcce, multiplici ſepimento circumvallantur: nempè vel jurejurando (in certa capitula concepto) vel adpoſito cuſtode libertatis, aut Ephoris, vel eo pacto, ut liceat in caſu contraventionis, Regem Imperio, indignum pronuntiare; eique tanquam ipſo jure; poteſtate ſua privato, obedientiam denegare: quam legem commiſſoriam Politici vocant. Et ſæpius etiam, majoris cautionis ergò, plures ſpecies mixtionis concurrunt: ac nempè jura Majeſtatis, non ſolùm dividuntur; ſed & Ephori conſtituuntur, Legibusque, & Juramento etiam reſtringitur poteſtas.

16. Porrò initii ratione, Leges, qui abſolutam coarctant poteſtatem, multiplices ſunt: & ejus intuitu, ſubditi in *Pactitios* (qui certa con-

ditione sese dediderunt) *Exemptitios* (qui absolutè priùs subditi, majorem posteà libertatem acquisiverunt) & *Privilegiarios* separantur. *Cluten. in fasc. quæst. 27. Brunning. disput. de universit. specieb thes.* 15.

17. Non tamen omnia privilegia statum faciunt mixtum; sed tantùm ea, quæ superioritati obsunt: & ita Legibus fundamentalibus accensentur, nec revocari possunt. Aliudque est exemptus atque privilegiatus *Meichsner. tom 2. lib. 1. fol.* 846. Ac etiam est vulgata traditio ICC. Principes gratiam & privilegia, per se, vel per prædecessores concessa, prout ipsis videtur, revocare posse. *Rauchb. 2. quæst.* 11. *Maul. de homag. cap.* 9. *num.* 105. *&* 123. *Bocoal.* 2. *rag.* 1.6. *&* 7.

18. Huc pertinet denique tractatio, confusarum potiùs, quàm ritè mistarum Imperii formarum: putà ubi separatæ sunt jurisdictiones, ut scilicet unus hanc, alius aliam ejus speciem habere comperiatur: ita tamen, ut neuter verè superior alterius existat. Quemadmodum Episcopi, nonnullique Principes, in vicinis, liberisq; civitatibus, multa jurisdictionalia habent; non quidem jure superioritatis, sed potiùs ad exemplar servitutis realis. *Leupoldus de concurr. Iurid. quæst.* 12 *Kyllinger. de Ganerb. discurs.* 8. *num.* 9. *&c. vide etiam omnino consil. Gæddæi in causa.* **der Stadt Friedberg / *contra* ihren Burggrafen.**

CAP.

CAP. X.

DE IMPERIIS SUBalternis.

1. ADDENDA nunc est alia divisio Imperiorum; qua quædam absoluta, quædam *subalterna* dicuntur. *Botero. de ragion di stato fol.2. Bornit.de Maj. c.12.* Eaque ratione, P. Busius *disput. polit, 1. quæst. 19. & 1. de Rep. cap. 5.* scribit Remp. omnem, respectu Imperii duplicem esse: supremam seu universalem; quæ Imperio supremo, sine alterius recognitione constat (ac ita nemini, nisi immediatè DEO subest) ac particularem, quæ quidem jus Reip. habet, sed à superiori. *tit. C. de jur. Reip. lib. 11 l. municipes, 4. ff. ad Muncip. l. 6. ff. de administr. rer. ad civit. pertinent.* Et sic alteri, vel Principi, vel populo subjiciuntur. Cujus etiam Majestatem verè non comiter tantùm (ut Clientes aliique consimiles, absque onere subjectionis) observant: nec solummodò alium majorem, sed & superiorem agnoscunt.

2. Sicque Imperia subalterna, quoad subditos, ferè absoluta, & eadem, Dominorum superiorum respectu, non absoluta existunt. Vicissim verò, à merè subditis Provinciis differunt in eo; quia quandam per se constitutam Reip. formam habent; quam mutare superior nequit: & etiam parùm ferè curat, quomodo Principes subalterni, subditos suos gubernent: modò se tanquam superiorem agnoscant. *Rudolphin. de Ducib.*

*Ducib.Ital.num.*117. *Alb Gentil. disput.Reg a,*1. *fol.* 17. *Petra. de potest. Princ. cap.*2. *&* 3. Horumque Imperiorum subalternorum exempla, omni ex ævo, complura, Cabotius refert.1.*disp. cap.* 12.

3. Imperiis autem subalternis, primò aggrego *Tributaria* Regna: quæ vel victa, vel aliam ob causam, alteri Libertatem vel potestatem, quam habent,acceptum ferunt,in ejusque rei recognitionem, vel pensionem aliquam numerant quotannis, vel munera mittunt. *Ego de fæderib. cap.*5.*num.*18. Vt faciunt Turcarum Imperatori Gregoriani, vel Circassi, Fessani, Maroci, Tuneti, &c. Reges. Sicque tale tributum,est publicus canon, in recognitionem universalis, seu superioris dominii, quæ datur.

4. Ab hoc autem tributo, simplex pensio, multùm distat: quæ nullam planè subjectionem indicit. *Bodin.*6. *cap.*2. Indeque quod Imperator Romanus in qualitate Hungariæ Regis, Imperatori Turcarum, ne Provincias suas ac Regiones excursionibus divexet,annuam exsolvit pensionem, hoc ipso, non excidit absoluta Majestate. *SoranZ.in Ottom. lib.*1. *cap.*29. *Dn. Lansius de Lege Regia,thes.*51.*&c. Ego cap.*4.*de apellat. num.*5, Ad subalterna quoque Imperia pertinent *Feudalia* Regna. *Arnisæ. de Majest.*1. *cap.*5. Ac talia sunt Siciliæ utriusque, quæ à sede Romana in Feudum recognoscuntur; & alia plura. Suntque Vasalli regulariter non subditi, sed liberalia servitia Domino præstant, militaria putà,

putà, quæ & fœderati sibi invicem debent. Et nec Vasallus crimen Majestatis committit, licet Dominum offendat; sed solùm Feudum perdit. *clem.pastoralis,de sent. & re judic.*

6. Ejusmodi denique subalternorum Imperiorum, illustria nobis præbere possunt exempla Ptincipatus, & alii status in Imperio Germanico-Romano. Qui certè in suo territorio, liberam, & ferè Regiam potestatem habent: ita ut id, quod in absolutis regnis Majestas, hoc ferè statibus Imperii, jus territoriale (Vulgò **die Lands Fürstliche Obrigkeit** indigitatum) permittat. *Ziegler.*§. **Landsasser.***conclus.*1. Hæcque jurisdictio, territorio, tanquam nebula paludi inhæret; cum eoque transfertur. Et constat ex Regalibus quibusdam; & omnimoda, ac etiam Forestali Jurisdictione. *Latè Knichen. tract. de jure territorii,per tot.*

7. Hocque respectu dici solet, Imperii Ordines; ipsum Imperatorem, in territoriis suis repræsentare: quod tamen exceptis iis, quæ Imperatori, singulariter sunt reservata, intelligi debet. *Thom.Michael.de jurisdict.thes.*25. Multisq; aliis insuper modis, territorialis hæcce jurisdictio, ab absoluta differt potestate: imprimis quod Appellationes & querelæ, etiam inferiorum subditorum, contra dominos suos, in Curiis superioris acceptantur. Imò subditi in Ordinatione camerali, suas singulares Austregas habent, cum dominos convenire volunt.

8. Suntque status Imperii omnes, Ligii Vasal-

li,

li, & subditi Imperatoris, ac Imperii. *Knichen. de jure territ. cap. ult.* Ac ii qui non recognoscunt Feudi nomine, suam jurisdictionem ab Imperatore; vi tamen privilegii Imperialis, eam exercent: ut sunt civitates Imperiales, ac etiam Comitatus, & Principatus, si qui sunt allodiales.

9. Sunt porrò subditi Imperii, qui non sunt status, quales certè in Italia existunt civitates, & Principes nonnulli: de quibus Paurmeister. 2. *de jurisdict. cap. 4. num, 52. ac num. 73.* Ac item in Germania, aliqui sunt Imperio immediatè subjecti; qui tamen non sunt status: ut D E O dante *in tract. de jur. publ. Imper. Rom.* dicam.

10. Status autem, ut quis sit, necessaria quædam ad juncta habere debet; quæ recenset Obrecht *2. de jurisdict. cap 7.* [1.] ut in Imperialibus diætis, stationem obtineat, atque votum: [2.] ut in Matricula Imperii comprehendatur. Sic etiam territorialis jurisdictio, variis rationibus probatur. *Meichsner. tom. 2. lib. 2. decis. 3.* Scilicet per investituram, per diuturnum exercitium, &c.

11. Hique porrò Status comitialiter congregati, in tria Consilia: Electorum nempè, Principum & Civitatum dividuntur. Electores autem, ut & Principes; vel Ecclesiastici (Archiepiscopi putà, ac Episcopi, &c.) vel Seculares existunt.

12. Principum nomine, Archiduces, Duces, Palatini, Marchiones, Landgravii, & quidam Principes in specie ita dicti (Fürsten oder Gefürstete/) comprehenduntur. Et his quoque, immediate Comites & Barones accedunt; ut & Prælati

Prælati atque Abbatissæ immediatæ. Qui tamen ex hisce duobus ordinibus sunt, non viritim (ut Principes) sed curiatim sententias dicunt. *Bertram. & Arumæ. de Comitiis, Lehman.* in der Speyerischen Cronick/ *lib.7.cap.*124 *fol.*1016. §. und haben die Prælaten.

13. Liberæ Imperii Civitates, sessionem & votum in Comitiis (eo enim fine vocantur) ut jus territoriale, in suo districtu (eo ipso, quod sunt status immediati) habent; *ut evici in discurs. de liber. Imperii civitatibus.*

14. Idemque licet nonnulli de liberis quoque Nobilibus, Von der freyen Reichs Ritterschafft/ in Francke/Rheinlanden/ vñ Schwaben asserere audeant, *ut dixi in discurs. de libero Ord. Equestri.* Magis tamen est, ut dicamus: ipso jure; bassam tantummodo jurisdictionem, sive die Vogteyliche Obrigkeit iis competere: indeque illi antiquitùs solùm Vogtsherren & eorum statuta Vogtbücher indigitantur. Nec aliam jurisdictionem, sive den Bluhtbau aliter: quàm singulari concessione Imperatoris habent. Et eos nunquam in numerum statuum, neque particulari, neque etiam universali nomine, allecti fuerunt.

15. Equestris autem nobilitatis libertatem, in Franconia, Suevia, & Rhenano tractu quodque immediatè imperio nunc sunt subjecti, ortum ex eo habuisse probabile est; quod Franconicus, & Suevicus ducatus (quibus ii nobiles antè absolutè subditi erant) Imperio accreverunt.

runt. Et ita jam milites, ac subditi sunt Imperatoris, ut antea Landsassi erant suorum Ducum. *Nolden. de statu nobil. Ego de discurs. de ord. Equest.*

PARS SECUNDA
LIBRI PRIMI.

DE SUBJECTIONE tractans.

1. SUMMA Capitis, & Reipublicæ potestatis, utcunque explicata ratione, & natura: jam porrò de subjectione, seu reliquo corpore, agendum erit.

2. Subjectio autem tàm personas subditas, quàm etiam res ipsas, pertingit: quæ utpotè personis cohærent, ac sine quibus bene & feliciter vivere non possunt.

3. Hæcque omnia, non sigillatim tantùm considerari; sed quoque de eorum compositione (quatenus scilicet ex singularibus personis, Familia, Collegia; Universitatis, territoria, &c. fiunt) nonnihil dici oportet.

4. Et subditæ quidem personæ considerari debent: vel quatenus à natura loci mutantur, vel quatenus mariti, uxores; patres, filii; domini,

ni, servi, cives, incolæ; aut hospites sive peregrini in civitate; vel etiam eminentioris, aut inferioris conditionis existunt.

CAP. XI.

DE NATURA populorum.

1. OMNIUM primò, qualis natura populus sit, cui imperitatur, ab eo, qui vel Rempublicam administrare, vel de rebus politicis judicare velit, cognoscendum est. Sicque Cicer. *de Orat.* teste; duo Reipublicæ capita sunt; nosse Rempublicam & civium cognitos habere mores. Ac ad varios gentium mores, & inclinationes, Civitatis cujusque leges, & formam convenit accommodari. Hæcque inprimis varians inclinatio populorum, miram illam varietatem Reipublicæ formarum, ipsiusque imperandi rationis, magna ex parte efficere videtur.

2. Ingenium autem, & studia hominum (caussas naturales & externas quod attinet) à situ, sedeque Regionis præcipuè formantur, ac pro locorum mutantur diversitate, nam & secundùm eam aer, cœlique & terræ (ac ita etiam alimentorum) qualitates, variantur. *Bisciola. lib.* 14.*c.*22.

3. Sicque frigida qui septentrionis inhabitant loca, illi quidem animosi existunt (propter sanguinis

guinis copiam, & corporis robur) intelligentia tamen & arte (quia spiritus habent crassiores) minùs sunt solertes. In iis sanè, propter antiperistasin, seu pororum obstructionem, à frigore causatam, calor ita placidè fovetur; ut nec humidum radicale consumat: ex quo copia sanguinis abundat, fœcundi etiam sunt, staturaque eminentes fiunt, & sic libertatis appetentiores redduntur. Ab eaque plaga, magnæ sæpè expeditiones, in Australes sunt factæ: quamvis tales homines, à recta Reipublicæ ratione alienos dicat Aristot. 7. *polit.* 7.

4. At ubi frigus est nimis intensum, & quasi adurens; tunc aliter se res habet: eamque ob causam, in Zona Polari habitantes, minoris staturæ conspiciuntur.

5. Septentrionales verò, quia spiritus non habent subtiles, neque Melancholia suppetit: ideò in Mechanicis, magis quàm contemplativis scientiis excellunt.

6. Meridionales, ut intelligentes & artificiosi; sic quoque parum animosi videntur: habent enim poros patentiores, ac sanguis, ob circumstantem calorem, quasi sublimatur, eoque minuitur, & multùm Melancholiæ generatur; quæ ad contemplationem, apta magis existit, & quod ei imprimitur, diutinè retinere solet.

7. Medio terræ, salubris est utrinque mistura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus, magna in calore temperies: iisdemque Imperia, quæ nunquam extimis gentibus fuerunt.

runt. 1.*lin.2.cap.*78. Sicque Græcia & Italia, ac quoque Germania, aliæque temperatæ Provinciæ, civiles maximè ſunt, & magna imperia, artibus politicis gubernarunt.

8. Monendi hîc ſumus, Septentrionem apud priſcos Philoſophos, & Myſteriorum explanatores, cæteris plagis poſtponi; ab iisque ibi inferos locari. *Bungius de Numeror. Myſter.* 3.*fol.* 124. In Septentrione etiam mala conſtituta, monet non uno loco Hieremias Propheta, dum ait: ab Aquilone omne malum, &c. Sic etiam moderni hæretici, ex ea plaga ortum, & incrementum habent.

9. Hoc quoque addo, totum mundum habitabilem, eſſe, ſecus ac antiqui crediderunt: qui Zonas torridas, hominibus privatos reputarunt. *Horſtius de ſanit.tuend.fol.*33.*Guyon.des diverſ.lec.*52.*fol.*867. *Ego de nat.popul.cap.*8.

10. Eſt & varietas locorum, ſecundum longitudinem orbis, ſcilicet in oriente & occidente. Et ſic ad promontorium bonæ ſpei, incolæ nigerrimi ſunt; & cauſſam hujus nigredinis, calorem, propinquitatemque Solis, omnes eſſe opinantur. At in eadem latitudine, qui habitant circa Magellanicum fretum, candidiſſimi perhibentur. Braſilienſes, ſub eadem cum nigerrimis Æthiopibus latitudine, albi ſunt. *Ego de nat. popul. cap.* 5.

11. Eſt quoq; Soli, & inde etiam ingeniorum diverſitas non exigua, quam non ſitus, ſed qualitas ipſius terræ, efficere ſolet. *Ego dicto loco cap.*

6. Et ita in unoquoque climate, inter montanos, campestres, convalles, maritimos, insulanos, &c. magnam licet morum cernere variationem. Montes etenim, ut & turres sublimiores, semper frigus habent; quamvis vel tempus, vel situs ratione exuperet calor. Campestria vicissim, etiam in frigidioribus aliàs locis, temperie gaudent: ibi enim Solis radios non impediunt montes. Sicque Helvetii magis sunt meridionales, quàm Angli: & tamen hi Meridionalibus, illi Septentrionalibus Populis similiores videntur. Valles item tepidæ sunt; & tales inveniuntur, quæ optimum vinum ferunt, proximos verò montes; nive perpetua horridos habent. Maritimi demum & Insulani, nequiores reputantur, nescio ob naturalem, anve politicam causam; dum nimirum peregrinis tam mercibus, quam hominibus corrumpuntur.

12. Ac pariter, ut primæ & secundæ, à Physicis in rebus naturalibus deprehenduntur qualitates; ac his alias superaddunt, specificasque dicunt. Sic & quædam sunt gentibus proprietates, omninò occultæ, quæ positus varietati, minimè adscribi queunt; sed earum caussæ, non minùs ac occultarum qualitatum, ac virium in rebus naturalibus, in occulto sunt. *Ego dicto loco cap. 7.*

13. Hominum etiam variæ commistiones, ex populorum migrationibus ortæ (ut quòd Celtæ in Liguriam, Longobardi, & Gothi in Italiam, Gothi, Vandali, ac Suevi, in Hispaniam,

Franci

Franci & Burgundiones in Galliam, Suevi in Alemanniam, magnis agminibus sunt profecti) mirabiles mutationes productæ fuerunt. Eamque ob caussam Itali, Galli, Hispani, Germani, &c. alii sunt, ac olim fuisse describuntur.

14. Tandem ætas ipsa, seculorumque decursus, secundum illud

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

animorum inclinationes, omniaque universim variè immitavit: & Imperia magna, ipsamq; etiam Religionem, alternatim per orbem, quasi circumduxit. Quod singulari, & occulta providentia divina, factum est. Sicque non ampliùs ea fertilitas nunc est in Palæstina, quæ Mosis & Josuæ tempore erat. In Chaldæa, ubi imperium nulli simile, ubi hominum incredibilis erat multitudo, nunc tristis est solitudo: & ubi olim Orbis miraculum Babylon fuit, nunc nullum est vestigium humanum.

15. Sic & in aliis adhuc Provinciis, Regnisque plurimis, ingenii cultus barbarei, barbaries eruditioni successit. Ut cum primis in Græcia videre licet; ubi olim Religio, ars militaris, omnesque civiles artes: & inibi tamen, nunc indigenæ, animo & corpore, socorditer torpent. Vicissim Germania, quondam Idololatrica, sterilis & barbara, nuper verè nitebat. Sed tamen & ea, orbis quæ ocellus deprædicabatur, ad antiquum Chaos pede satis celeri, reditura videtur: nisi hoc quod speramus, eoque nomine DEUM, Divosque jugiter venerari debemus) impedive-

rit summa pietas, felicitasque, optimi potentissimique nostri Imperatoris Ferdinandi III. cui semper salus, & longissima vita.

16. Ipsa pariter Idiomata, temporis lapsu, confunduntur, immutantur, & mortem patiuntur. Sicque Hebræa, seu sancta lingua, produxit Chaldæam, Syriacam, Punicam, Arabicam; ea ferè ratione, qua Latina cum Germanicis dialectis confusa Italicam, Hispanicam, & Gallicam modernas generavit. Ipsa etiam Alemannia, ita ante 600. annos loquebatur; ut nunc facilius quis Suecicam; Danicam, Anglicam, aut aliam adhuc magis peregrinam, quam illam priscam intelligere possit linguam. Vt Odofridi Euangelia, & Willerami Abbatis paraphrasis Cantici canticorum, attestantur. Celtica pariter, Cantabrica, vetus Hetrusca, Ægyptia, aliæque multæ omninò abolitæ sunt, & planè hodie ignorantur.

CAP. XII.

DE SOCIETATE, JUREque Mariti, & Uxoris.

1. NUNC porrò de subditis, quatenus in aliqua domestica societate vivunt, tractandum erit. Harumque prima in *Conjugio* est: idque cùm principium existat, constituendæ civitatis, ac perpetuandæ, jam ergò, civem ut *Maritum* & *Vxorem*, considerare placet.

2. Ac

2. Ac quidem populis olim quamplurimis, conjugiorum, sobolisque magna fuit cura. Sicque apud Judæos, haud in pretio steriles, ac etiam cælibes erant: Quamvis & aliqui viri magni, in eorum historia numerentur, quos extra matrimonium vixisse constat. Vt & Essæi, ab uxoribus, vinoque ac carnibus adstinebant. Hosque Biblicis scriptoribus, non recentiores fuisse (ut hæretici volunt) docent Baronius *Annal. A. C.* 46. & August. Torniell. *A. M.* 2545. *num.* 13. Vt & Josephus *antiquit.* 18. *C.* 2. Iudæos Patriæ sapientiæ studiosos, jam inde à multis retrò seculis, in sectas certas divisos fuisse dicit.

3. Quod verò attinet Romanos, ii propter utilitatem, ex multitudine populi provenientem, & quia bella assidua, homines quamplurimos indies absumebant; eaque ferè non nisi per liberos cives exercebantur; cælibes ideò, non solùm variè prægravarunt, sed & liberorum copia felices, multis privilegiis donaverunt. *Lips. ad Tacit. Annal.* 3. *in excurs. f.* 512. *Vetran. Maur. de jure liber. sing.*

4. Quamvis autem Virginitas, Matrimonio præstantior omninò sit: errant tamen, qui Matrimonium rem carnalem, aut per se non bonam esse ostendunt: ut olim Tatiani, & Manichæi, pessimi hæreticorum, aliique adhuc plures, autumarunt. Hicque error, etiam Catholicis, ab hæreticis adscribi solet, sed immeritò planè. *Sixt. Senens. lib.* 6. *annotat.* 4. *Baronius A. C.* 57. *n.* 54. *S. Thom.* 22. *quæst.* 152. *art.* 4. cùm apud eos habe-

habeatur matrimonium pro Sacramento: & etiam matrimonii dignitatem, egregiè defendat Lombardus 4. *sentent. distinct.* 26. *quod nupt. sint bona.*

5. Pariter etiam errant, qui reiterationem nuptiarum, inhonestam esse assertant: ut Montanistæ, ac ab his deceptus eruditissimus Tertullianus, ut & Leo Imperator *Novell.* 9. *ac vide quæ ego in ejus vita, hac de re scripsi.* Bigami tamen in primitiva Ecclesia, nunquam ordinati fuerunt. *Baron. A.C.* 58 *num.* 6. *&c.*

6. Ordinibus autem sacris, quod Catholici jugitur annectunt cœlibatum, contra id acerrimè hæretici pugnant. Afferuntque, non hoc in Ecclesia Græca in usu, nec etiam in primitiva receptum fuisse. Addunt, ipsos etiam Catholicos fateri, hancce sanctionem juris tantùm positivi esse. Et dispensationem contrariam, in Concilio Tridentino, Catholicos nonnullos status, sollicitasse. Sed tamen, Sacerdotum cœlibatum, egregiè defendit Bellarm. 1 *de clericis, cap.* 19. Et in primitiva Ecclesia, licet uxores habuerint Apostoli, eas tamen reliquerunt; ac etiam Græci uxorati Sacerdotes, uxores licet retineant, at semel tantùm nubunt. Et in veteri Testamento, Levitæ uxoribus abstinebant, quando eos ordo sacrificandi tangebat.

7. Ac item sobolis procreationi, & per eam multitudini civium, non ita esse favendum; ut quis (quod apud Cretenses, *Strabo lib.* 10. aliosque nonnullos populos usitatum fuit) invitus, si castè

castè vivat, ad nuptias adigi queat. Ebion quoq; hæreticus, omnes uxores ducere coegit. *Baron. A.C.74.num.5.* Haud item ad replendam civibus civitatem, Polygamia est adprobanda: quod tamen olim Socrati & Euripidi, ac etiam Cæsari, teste Sueton. *cap.52.* placuit.

8. Forsan autem non absonè dici potest; multitudinem uxorum, etiam apud Judæos, non omni ex parte licitam: sed tantùm propter duritiam cordis, & quasi ex dispensatione eis fuisse concessam. Est enim ea contra primævam institutionem: ad quam nos revocat ipse Salvator noster. *vide Levit.18.vers.18.ut & Malachiæ cap.2.vers.11.&c. Martin.Becan, Manual.4.cap. 6. Pierre.* Charron.1. *de la Sagess. cap. 48. num. 10. &c.*

9. Atheismum verò sapere videtur, quòd Bodinus 5. *de Republ.cap.1.& cap.5.meth.histor.* ait; ab Orientalibus meritò Polygamiam frequentari, quia ibi plures *fæmellæ*, quàm masculi generantur: quodque Lutherus Principi cuidam libidinis inexhaustæ, duas uxores concessit, *Thuan.lib.39.*

10. Politici porrò, etiam hoc suggerunt, & in eo cum Theologis, ac Physicis conveniunt; quod quoque in matrimonio quædam castitas sit servanda, & ita liberis opera danda, ut saniores, etiam ratione conceptionis generentur. Sicque Venere rariùs utendum, quod monet Muretus; 3.*var.*14. nec etiam corpore, aut animo; crapula, aliisque vitiosis affectibus prægravato:

Campanell. in Philosoph. moral. fol. 292. abortus etiam, ne causetur. Qua de re, piè Ocellus Lucanus, antiquissimus Pythagoricæ Philosophiæ sectator: Opus est, inquit, ut qui liberorum procreationi operam dant, futuræ sobolis multò antè curam suscipiant. Et porro prima ac potissima adhibebitur animadversio, si temperato, & salubri utantur cibo, non ebrietate capiantur: nec quidpiam sumant, quod perturbationem afferat; ex quibus quidem rebus, habitus corporis deteriores evadant. Illud verò omnium maximè curandum est, ut non nisi pacata, & tranquilla mente concumbant: nam cùm pravi ac perturbati sunt corporis habitus, ex illis vitiosa semina solent prodire. *add. Baron. A.C.* 57. *n.* 14. Ac cùm tanta etiam honestas, in ipso licito matrimonio exigatur: apparet quanta fœditas sit libidinum vagarum, &c.

11. Et porrò matrimonium, non solùm inter duos tantùm, verùm & societas illa tam sancta, perpetua esse debet. Vnde divortia haud libera esse possunt, secundum Euangelicam legem: cum matrimonium, Ecclesiæ cum Christo conjunctionem indissolubilem, repræsentet. Quamvis divortia æquè apud Romanos, ac Iudæos fuerint usitatissima. *Arnisæ. de connub. cap.* 6. *sect.* 2. *Rittershusius ad Novell. part.* 4. *cap.* 7. & 8. Sed Catholici, nec ob adulterium, totalem separationem admittunt. Et ideò prophana sunt Consistoria Protestantium; quæ non solùm ob adulterium, sed & propter alias causas, totales,

ac

ac quò ad vinculum dissolutionem permittunt. Imò etiam adulteræ, vel adultero, nubere concedunt.

12. Insuper matrimonii auctoritas requirit, ut illud non nisi benedictione publica, vel aliàs solemni interveniente, perficiatur, *Baron. A.C.* 57.*num.* 16. Sicque Concilium Tridentinum, piè admodum sancivit; ut matrimonia Clandestina, hoc est, sine presbytero, & duobus simul testibus celebrata, pro nullis habeantur. Inde qui post sponsalia de præsenti concumbit, & ante nuptias mortem obit, non legitimnm filium relinquit. *Ego consil.* 147. *part.* 5. *& consil.* 197. *part.* 6.

13. Circa Sponsalia, in Synodo Tridentina, nil videtur in Canonico jure mutatum: & ideò post Sponsalia, non licet alterutri parti pœnitere, nisi ob causas graves. *Ego part.* 2. *consil.* 80. *& part.* 5. *consil.* 237. Sed tenetur sponsus cum sponsa, si hoc illa urgeat, nuptias celebrare, & ad id, Ecclesiasticis censuris, adigi solet.

14. Tandem vi maritalis potestatis, concedenda est viris facultas, vel invitas in ordinem redigendi uxores: aliàs enim nulla in matrimonio quies esset, si imperio matrimoniali, omnis coercitio adimeretur. Nam & hac constante, verùm est, quod canit quidam Poeta Britannus,

Conjugis ingentes animos linguamque domare,
Herculis est decimus tertius ille labor.

Hæcque potestas apud plerasq; gentes, ad jus vitæ necisque porrigebatur. Sed tamen rectiùs fa-

 ciunt,

8. Quæritur etiam, an parentibus nolentibus, Monasterium ingrediantur liberi rectè? Et quamvis Petr. Ærodius Quæsitor Andegavensis *libell.sing.* cum filio tanquam fugitivo agat, eò quod ipso nolente, degeret apud Patres Societatis. *Ac addit. Servin .tom.*1 *plaid.*2.*fol.*131.*&c.* At tamen non videtur potestas Patria eòusque extendenda, ut etiam in rebus conscientiarum attingentibus, aliquid impedire vel efficere possit. *l,*56.§.1. *C.de Episc.& Cler.*

9. Obedientia verò parentibus debita, Imperio quodam asseritur; quod *Patriam potestatem* indigitamus: quæ more olim Romano, jus vitæ, necisque habebat. *Rod.Forner.rer. quotid.*1. *cap.*2.*Ærod.fol* 486.*&c.ac lib.*6. *tom.*7.*fol.*502. Sed nunc haud sine magna ratione, pedetentim variè id successivum fuit. Ideò scilicet, ne corrupto hoc seculo Patres jure tali abutantur. *Baro Euenkel.de privil. parent.* 1.*cap.*1. *num.*5.*Forner. d.lib.*1.*cap.*3.

10. Et nec hodie severitas ea, quam Mosaica lex in illos, qui parentibus male dixerunt, exercuit; adhuc usurpatur: sed tales extraordinaria pœna afficiuntur; ut aliquandò post longam disceptationem obtinui.

11. Vetus etiam parentum jus fuit, abdicatio filiorum immorigerorum: *Forster. de jurisdict. fol.*205.*&c. Servin.tom.*2.*Plai.*9 *fol.*421.*&c.* in cujus locum ex hæredatio concessit, quam quoque Iustinianus jure novissimo, ad certas causas adstrinxit.

12. Et porrò, secundum consuetudinem totius ferè Orbis Christiani; Liberi emancipati, Patriique juris nexu liberati censentur, quando parentes ipsis permittunt propriam familiam habere. *Berlich. part.* [illegible]*. conclus.* 11. *Zasi. in l utrum turpem.* 106. *de V. O.* Sicque per Nuptias solvitur Patria potestas; ac mulier in potestatem Mariti venit, egrediturque sui patris potestatem. Id quod meliori ratione, quam juris Romani sanctio contraria, niti videtur. Est enim Maritus uxoris caput, & is relinquere patrem ac matrem, & ipsi adhærere debet, ex primæva institutione: in eamque etiam potestatem habet.

CAP. XIV.

De Dominis & Servis.

1. SUCCEDIT nunc Dominica Societas, quæ est inter *Dominum, & Servum*: ac quidam natura Servum vocant eum: qui eatenus tantùm rationis particeps est, eam ut sentiat solum, vix etiam habere comperiatur. Quo intuitu Aristot. *in polit. non uno loco* ait: Barbaros natura servos esse, & ideò libenter ferre dominatum, eò quòd sciant obedire, sed non imperare.

2. Ac sanè quomodo Cicero *in Paradox.* ex Stoicorum sententia concludit; Omnes sapientes

tu, parentes adpellitantur. Et ita secunda societas ea habetur, quæ est inter *Liberos & Parentes*.

3. Parentum autem officium, vel præcipuè in eo consistit, ut liberi alantur, nutriantur, educentur, ac bene instituantur. Itaque mater, ut propriis uberibus lactet liberos suos, jure naturæ obstricta videtur. Unumquodque enim alitur ex eo, ex quo est generatum. 1 *polit. ult.* Spiegelius, alias adhuc rationes adfert, *tract. de format. fœtus, fol.* 27. *& seq.*

4. Et sic detestandæ omninò sunt matres, quæ fœtum occidunt. Et hinc in Galliis, lege est receptum, ut fœminæ, ex fornicatione quæ conceperunt, ob solum partum, & sepulturam clandestinam (etsi non constet, infantem adhuc vivum, hanc in lucem editum fuisse) extremo supplicio adficiuntur. *Papon. lib.* 22. *t.* 4. *artic.* 2. Tanti meritò æstimant, negligere στοργὴν maternam.

5. Debent & defensionem liberis suis parentes; sicque ii, suorum à periculo eximendorum causâ, & è contra, in justum aggressorem, licitè non offendunt solùm, sed & occidunt. Ut ego contra Obrechtum, & Vaudum defendo. *ad l.* 3. *de justit. & jur quæst.* 15.

6. Vicissim liberi, maximam parentibus reverentiam, obedientiamque præstare tenentur: idque in præmium generationis. Et verò pars cultus paterni est, ut liberi nutriant parentes, paupertate pressos, seniove confectos. Unde Aristophanes, *In Avibus*:

Sic

tes esse liberos: eadem ratione Aristot. disputat; omnes insipientes esse servos: hoc est, ad servitutem à natura destinatos. Aristotelis autem & Philosophorum sententia, de natura servis loquens, accipienda est in eum sensum, quo Plutarch. *in Pelop.* ait. Pelopidam natura Imperatorem fuisse, non quidem quod talis natus fuerit; sed quod prudentiam Regiam natura haberet.

3. Lege (hoc est, Gentium jure secundario, aut etiam civili) servi sunt, qui bello capti, vel ex ancillis prognati, vel aliter in servitutem redacti fuerunt: putà propter delictum, aut si quis ad precium participandum, sese venire sit passus. *l.4 de just. & jur. Pignorius tract. de servis, f. 7. & seq.*

4. Quemadmodum autem Nobilitas, à Patre ad Filium sese extendit, non verò à Matre: ita vicissim Servitus, non olim transibat, nec adhuc hodie servilis conditio transit, nisi à Matre in liberos. Ideò servi non habent gentem, seu familiam aut nomen (unde & Hispanis nobilis dicitur *Hidalgo*, id est, filius alicujus) propterea, quia servi non habebant patrem legitimum, ac ideo quoque, Filii Terræ dicuntur.

5. Sanè jure gentium, Dominis in servos vitæ & necis potestas, conceditur: *l. 1 ff de his, qui sunt sui vel alieni jur.* §. 1. *Instit. eod.* Iique olim levissima de caussa, potuerunt occidi. *Seneca 3. de Ira. 3. cap 40. Tacit lib 14.* Sed tamen crudelitas illa, in bene constitutis Rebuspublicis ferè semper

ſemper coercita fuit. Inprimisque Romanis placuit, ne cui ſervum ſuum occidere liceret, ſine cauſſa Legibus cognita: & qui occiderit, ne minùs puniatur, quàm ſi ſervum alienum occidiſſet. *Guil. Forner. 1 ſelect. cap. 27.*

6. Leges porrò ſtatuunt; quòd ſervi ſibi nihil acquirant, ſed quicquid acquirunt, totum Domino cedat; ſuum nihil habere poſſint. *l. 1. de his, qui ſunt ſi vel alieni jur. §. item vobis. per quas perſonas, &c.* Deinde in muniis & actionibus Civilibus, ex Regula juris, ſervi pro nullis habentur. *l. quod attinet ff. de regul. jur.* atque propterea muneribus publicis non funguntur. *l. 3. C. de tabulariis, lib. 10.* Ad ſolemnia adhiberi non poſſunt, ut ſint è numero teſtium. *l. qui teſtamento, § mulier, ff. qui teſtam. facere poſſ.* Et in judicio nullo modo ſtare queunt. *l. Servus, C. de judiciis.*

7. At jura veteris ſervitutis, inter Chriſtianos, paulò ante Bartholi ætatem, ſubitò & planè evanuerunt: ut Bodinus obſervavit *lib. 1. cap. 5. Thom. Smith. 3. de Rep. Anglor. cap. 10. Lyclam. 4. membran. eclog. 11. Laur. Pign. de ſervis f. 195.* Ut & Chriſtianorum bella, nulla nunc ſervitus ſubſequi ſolet. At quia eos, quos Infideles capiunt, in ſervitutem condemnat; ideò etiam Chriſtiani, æquali ſeveritate, crudelitatem talem retaliare videntur. Attamen indignum pietate Chriſtiana eſſet, ſi Chriſtiani ſe invicem in ſervitute detinerent. Cùm præſertim Græcorum, quamvis Ethnicorum humanitas, referente Ariſtot.

lib. 5. *Ethic.* eò processerit, ut captus, ex Victoris etiam inviti manibus liberare se potuerit, libra auri: & Atheniensium Legibus, *teste Xenophon. de dictis & fact. Socrat.* morti ad judicatus fuerit, qui hominem in servitutem redegisset *Ioachim. Stephan.* 2. *de jurisdict. cap.* 6. *num.* 2.

8. Sanè Christianæ Religioni, servos habere contrarium non est; modò clementer tractentur. Quin & sunt qui optant, vetus jus servitutis ex parte reduci; eosque, qui mortem ob delictum, quod jus Divinum non morte punit, promeriti sunt, in servitutem perpetuam rapi, ut & validos mendicantes, Orphanos, expositos item infantes, ac similis farinæ homines, qui Reipublicæ graves sunt, nec sibimet ipsis consulere queunt. *Kirchner. orat.* 3. & 4. Sic & apud Arrianum, 3 *cap. ult.* Epictetus ait: libertos adpetere pristinam servitutem. Alius mihi vestem præbebat, alius calceos, alius me alebat, alius in morbo curabat: paucis in rebus illi serviebam.

9. Ac quia servitute vix carere quimus; ideò nec ea sublata omninò est: sed in Rusticis quibusdam ferè hæret, quos vulgò homines proprios, **Leibeygne Leuth / oder zu alltäglichen Diensten gesessene Unterthanen** (Galli *de main morte. Connan. com. cap.* 10 *num.* 3.) appellant; quique pro regionum variantur more, ac in multiplici differentia sunt, & quorum onera, vel ex consuetudine definiuntur, vel si nimia evadant, pii Iudicis officio sublevantur *vide Stam. de servitut. personal. per discurs.* **Wehnar.** *verb.* **Leibeygenschafft.**

10. Verè

10. Verè autem servi videntur, qui glebæ ita sunt adstricti, ut invitis Dominis nec secedere, neque etiam bona immobilia, jure mancipi possidere queant: vocanturque eorum bona in Suevia, vulgò Schupfflehen oder Fallgüter/ quia non perveniunt ad hæredes, sed mortuis possessoribus, Domino cedunt, à quo ea bona, ex hæredibus unus, certo interveniente precio, iterum conducere cogitur. Non multum etiam à Servili conditione distant, qui Dominis quotidianas operas præstare solent: aut quibus non permittitur in aliquo loco habitare, nisi ex libertate se in servitutem tradant? quos vulgò Wildfang vocant. Illi verò qui annuatim Ein Leibhennen/ aut post mortem den Hauptfall solvunt, nec alio onere, Domino suo (ihrem Leyb: und Hals-herz) sunt adstricti; Libertinæ potiùs conditionis debent reputari.

11. Servitutis ejusmodi originem, nonnulli ex Taciti, de moribus Germanorum libello, repetunt. Sed magis verisimile mihi videtur, illam ex victoriis Francorum contra Alemannos, descendere; qui ex dedititiis servos fecerunt: *Cassiodor.2.var.41.* eosque militibus suis (quos in Castris & Turribus posuerunt: nunc den Adel oder Ritterschafft vocitamus) Monasteriis item, assignarunt; & tum ferè *Fiscalini* dicebantur. *Guillim.hist.Helvet.2.cap.*10 & 11. Lehman in der Speyrischen Chronick. 2. *cap.* 19.&.20.*ac lib.* 4 *cap.*22. Hincque factum, ut Comites & Nobiles vetustiores omnes, in Suevia

via & reliqua Allemannia, originem suam repetant ex Francis; qui olim non solùm Galliam subegerunt, sed etiam Germaniæ partem majorem. Allemanni verò Nobiles, vel occisi, vel propè servi facti fuerunt.

12. Quem morem etiam Germani erga devictos Vandalos, Slavosque repetierunt. Cumq; hi ultimi fuerint, contra quos talis severitas est usurpata, inde certatim Germani, Hispani, Itali, Galli, & Angli, *Sclav.* pro Servo usurpant; cùm aliàs propriè Nobilem notet. *Goldast. de Bohemia.2. cap.1.* Ac eo etiam intuitu, Saxones servum vulgò Lassen vocant, quasi in provincia relictum. *Husanus tract. de hominib. propr. cap. 2. num. 28.* Sachsen Spiegel *lib. 3. artic. 44. in fin. ubi Glossa German. Gryphiander de Weichbild. cap. 25.*

CAP. XV.

De Jure Civium, Incolarum & Peregrinorum, versantium in aliena Regione.

1. CONSTITUTA hactenus est Domus, nunc Domestici in Civitatem sunt introducendi. Et porrò igitur considerandus est subditus, ut Civis. *Civem* verò definio, summa alterius

rius poteſtate obligatum, participem communionis Civilium rerum.

2. Ariſtotelis autem definitio Civis, quæ aliquoties repetitur *in lib. 3. polit.* non videtur approbanda: qui ait, Civem eſſe participem Imperii, & Iudicii. Illam enim ipſe Ariſtoteles, non omnes Cives comprehendere fatetur; & inprimis ſolùm competit Statui Democratico, nec etiam omni, ſed tantùm liberiori.

3. Et nunc ubique locorum, pro ſubditis ſive Civibus habentur; qui *Homagium*, ſeu juramentum ſubjectionis præſtiterunt; hocque nec Nobiles, Barones aut Comites (Landtſaſſii) detrectare poſſunt. Eſt enim juramentum illud, vera nota ſubjectionis, exindeque illa ſtatim probata cenſetur. *Maul. de homag. cap. 1. extantque hac etiam de re tract. ſing. Brunningi (inter diſpp. Baſileenſ.) & Ritteri.*

4. Homagium tantùm Paterfamilias, non Uxor præſtat; is enim eſt Caput Familiæ: nec etiam ancillæ. *Brunning. theſ. 327.* Famuli tamen, etiamſi non ſint Cives, Iuramentum tamen aſſecurationis præſtare ſolent; quod nihil velint moliri contra ſtatum, quamdiu in illo loco verſantur. Filiifamilias etiam, tum demum juramento tali onerantur, quando ſingularem familiam alunt: Wann ſie ſich verheurahten / oder ſonſten zu Hauß begeben.

5. Dicitur Homagium, ſive hominium, ab homine: quæ vox pro ſubdito quoque, aut ſervo uſurpatur; quemadmodum etiam Mann / pro

pro vasallo, Leuth pro servis, Germani olim dixerunt. Sicque homagium qui præstat, hominem aut subditum alterius agit, seque subjectum ejus fatetur. Nos vulgò Huldigung vocitamus: hoc est, pactum fidelitatis, Ein Geding / trew vnd hold / auch gehorsamb / vnd gewärtig zu seyn.

6. Homagium autem, ut subditi detrectare non possunt; *Schrader. consil.* 17. ac si id fiat, Cameralibus Mandatis eo adiguntur: ita etiam mutari, vel clausulis durioribus onerari nequit. *Iacob de S. Georgio de homag. vers. unum notatis. Maul. cap.* 1. *num.* 18. *Rutg. Ruland decis. jur. controvers. quæst.* 21. Ex ejus enim conceptione, qualitatem subjectionis dijudicamus: ac ita apud alios, aliud etiam est, & diversi tenoris. Vulgaris formula talis habetur: Daß er wolle vnterthänig / gehorsamb / hold / trew vnd gewärtig seyn / seines Herrn Frommen fördern / vnd Schaden wenden / auch in allen Sachen / was ein getrewer Landsäß / vnt Vnderthan / seinem rechten Erbherrn vnd Lands Fürsten zuthun schuldig ist / getrewlich thun soll vnd wolle: Alle arge list / vnd Gefährde auß geschlossen. *Wehner. verb.* Erbhuldigung.

7. Reputatur vero jus Civitatis, duplex esse: Universale, respectu Imperii totius, particulare, respectu Provinciæ, vel Præfecturæ; & etiam certæ Vrbis, aut Pagi. Sicque Civis Ingolstadiensis, respectu universalis Civitatis, est Civis Romanus, respectu territorii in quo habitat, est Ci-

vis

vis Bavaricus, & respectu Loci specialis, est Civis Ingolstadiensis. Quamvis autem Cives, suo Principi præstent juramentum: semper tamen auctoritas Imperatoris, & Imperia reservata putatur. Reichs Abschied *de Anno* 1555. So sollen die jenige/ *cap. venientes & ibi Gloß. de jurejur. Farinac. quæst.* 17. *num.* 16. *Modestin. Pisto. vol.* 1. *consil.* 24. *num.* 24. Et criminis itaque Majestatis reisant, qui rebellem vocant, si quis imperatori, contra Principem suum assistit,

8. Illud item, & alia ratione geminum existit; eoq; intuitu, Civis alius est plenus; alius non plenus; quod, ex lege vel usu cujusque civitatis, determinatur. Sicque in civitatibus Imperialibus, soli Patricii olim verè Cives erant: dictiq; vulgo fuere Burg; quia in Turrib. seu *Burgis*, hoc est, fortioribus ædificiis (quorum adhuc alicubi vestigia reliqua sunt) habitabant; quo adversus plebem, vel itiam tempore Civilium factionum, tutiores essent. Reliqui Einwohner/ Beysässen aut etiam Pfalburger vocabantur. *Lehman.* 4. *cap.* 14. *Kylling. de Ganerbinat. disc.* 3. *nu.* 105.

9. Sicque Patricii Genuenses, & Veneti, pleniores Cives sunt, quàm alii, ibi habitantes; & Civitatis tum jure fruentes. Sic nostra memoria Francofurti, inter Patricios & Cives lis fuit; an Privilegia Civitati concessa, pertineant ad familias solùm antiquiores, tanquam verè Cives: num verò ad plebem quoque?

10. Et adhuc etiam, in Polyarchico statu, alia divisio subditorum fieri debet: qua alii sunt

Cives

Cives imperantes, qui in Republica dominante, jus Civitatis habent; alii cives subditi, qui sunt in Provincia vel Municipio, dominanti Reipublicæ, jure Monarchico subjecto. Ita Romæ olim, alii fuerunt jure optimo maximo Cives; alii municipes, alii Italici juris, alii Coloni, alii Provinciales *Zach.* Fridenreich *in polit. cap.29. fol.196. Busius disput. polit.2. thes.6. & seqq. ac lib.1. de Repub. cap.7. Alberic. Gentil. ad l. 228. de V.S.* Sic & hodie Poloni, Turci, &c. imperitant: Livoni, Græci, &c. subjectionem patiuntur.

11. Sunt præterea Cives, vel naturales, quos origo facit; vel adlecti, qui aliunde ad Civitatem accesserunt: eosque lubentur, maxime recipiunt ii, qui Imperii amplificationi magis, quàm tranquillitati student. Sicque Romulus Regni sui amplificationem affectans, omnibus confugis, asylum aperuit; *Scip. Amirato* 11. *discurs.6.* Et eo etiam intuitu Aula Turcica, *Portæ* titulo tumet: quasi sit aditus omnium in justè oppressorum. Vicissim in Imperialibus Civitatibus sedatiorem statum amantibus, vix advenæ admitti solent. Sicque Francofurtensibus, Coloniensibus, Civitatibusque aliis, non exiguas peperit turbas, quòd nimis faciles fuerunt in recipiendis exulibus Belgis, eisque jura civitatis communicando.

12. Spuriis ac Nothis, competere videtur jus Civitatis, quod habet Mater; eosque cum Lege Mosaica, adeò non excludimus à sacro & civili

cœtu;

cœtu; *Molin. de just. & jur. disp.* 200. *num.* 22. *Heig. quæst.* 21. *part.* 1. Vt nec infamia aliqua laborare eos reputemus, quod in Delibatis, *ad tit. de his qui notant. infam.* deduxi.

10. Honorarius Civis est, cui honoris gratia tribuitur jus civitatis: & ita singularis dignitas est, jus civitatis Romanæ, quòd non solùm Senatus ibidem, sed & Imperator Romanus tribuere solet: apparetque ex Historia Veneta Petri Bembi, Venetos Hispaniæ Regibus, jus suæ civitatis communicasse. Helvetii etiam, idem jus tribuerunt Gallo, VVirtembergiæ Ducibus, aliisque.

11. Commorationis jus, aut Domicilii, aut Hospitii est; illud incolas, hoc peregrinos facit: quorum utrique, ad certa quædam Reipublicæ onera, obligantur.

12. *Incolam* appellamus; qui Domicilium absque Civitatis jure, alicubi habet: quorum numerum in Civitate minùs frequentem esse, præstat; & inprimis extraneorum Collegia, non facilè sunt admittenda. Sicque Hanseaticæ Civitates, in Norvvegia, Anglia, & alibi; Veneti & Galli, variis in locis sub Turcico dominatu, Collegia habent: Antverpiæ verò, hoc idem Turcis denegatum fuit.

13. Anne autem in Rebuspublicis Christianis, ferendæ sint *Iudæorum* Synagogæ? Hoc certo modo, communiter affirmatur. *vide Epist. S. Bernhardi pro Iudæis. ad Spirenses. Marquard. de Susannis tract. singul. de Iudæis.* Hispania quidem

dem, & aliæ Provinciæ, Iudæos non patiuntur; sed tamen ipsa Roma, atque Vienna, eos admittunt. Quòd & S. Pauli traditioni. *Rom. cap.* 11. *vers.* 30. consonum esse videtur, inprimis propter spem conversionis, ipsis singulariter promissam, *qua de re ego, in discurs. singul. egi.* Et quia specula sunt iræ DEI, ac luculentum argumentum, Divinitatis nostri Salvatoris præbent: non enim ulla gens taliter benedicta, nec etiam ita punita fuit. Sicque exinde constat, illos non nudum hominem, sed immediatè DEUM offendisse.

14. *Advenam* indigitant eum, qui transeundi solùm, & hospitandi commoditatem quærit; quorum oppressioni, in sacris Literis certæ prænunciantur pœnæ: Licet Chinenses & Moscovitæ, ex politica quadam ratione (ne scilicet Regni arcana explorent) eos soleant arcere. Sicque etiam Mendicos vagos & extorres, non planè excludendos censerem; vel invita Ulmensis cujusdam Prædicantis, in einer Predigt vom Gassen Bettel/ contradictione. *Matth.* 26. *vers.* 11. Sed publica ipsis providentia est prospiciendum. Ludov. Vives, *tract. de subvent. pauper. seu de human. necessit.*

15. Porrò autem peregrini, statutis & legibus civitatis, quatenùs eos concernunt parere, & secundum illas vivere tenentur. Majestas enim in omnia, quæ in suo territorio, & quamdiu ibi sunt, Imperium exercet. Adeò ut in Galliis, ex jure quod jure Albinagii vocant, Fisco

Regio cedant, etiam mobilia bona Defunctorum peregrinorum: eaque ratione, Peregrinus in territorio, ubi versatur, etiamsi aliter non sit subjectus, Majestatis tamen crimen committere potest.

16. Peregrini pariter in loco contractus (si ibi inveniantur) inprimis autem in loco delicti perpetrati, sortiuntur forum: ad eumque olim ex necessitate; nunc ferè Vicinitatis tantùm jure (auff einen Reverß) illuc remittuntur. *Gail.* 1. *de pace publ. cap.* 16 *num.* 30. *Matth. Stephan.* 1. *de jurisdict. cap.* 30. *num.* 13. *& seqq. Kopen. decis.* 43.

17. Et consequitur judex loci, jus puniendi delinquentem; etiamsi is ipso dignitate par, vel major existat. Ita olim Conradinus Sueviæ Dux, Neapoli; & Maria Scotiæ Regina, in Anglia, hoc prætextu capite plexa fuit. Nec etiam Status contra Statum, in ipsius territorio delinquens gaudet jure Austregarum. *vide tamen Arumæ ad Aur. bull. discurs.* 5. *thes.* 12.

CAP. XVI.

DE SUBDITIS, QUATENUS unus altero, eminentioris est conditionis.

ALIA

1. ALIA nunc subditorum divisio subsequitur: qua alii eminentioris conditionis, alii inferioris existunt.

2. Et quidem eminentioris conditionis sunt, vel sunt officii ratione in aliqua dignitate constituti; vel aliàs sui natura, cæteris præferri debent.

3. Officii respectu excellunt; Ecclesiastici, Consiliarii: vel qui alia quadam ratione Reipublicæ negotia insignia procurant; vel in Aula locum obtinent præclarum. Sanè magnorum olim Principum Officiales, etiam perpetuam Nobilitatem acquirebant. Indeque Schenck / Truckſäß / Marschalck / Keller / &c. nobilia, & hæreditaria nomina facta fuere.

4. Qui sui natura eminentiores censentur; perpetuam, seu ad hæredes transitoriam; vel temporariam, seu cum vita desinentem, obtinent Nobilitatem.

5. *Perpetuam* habent Nobilitatem, quibus eam tribuit genus: quam in bene constituta Republica, tanquam seminarium, cùm officiorum, munerumque togatorum, tùm maximè Militiæ ergò habere, Feudaque Nobilibus concedi juvat. Hacque ratione, Franci olim, & Teutonici Imperatores, perpetuum semper militem habuerunt, nec mercenariis uti cogebantur.

6. Sanè omnes ferè gentes, Nobilitatem ex nativitate metiebantur. *Reiner. Reineccius*, Von deß Adels herkommen. Et tales olim apud Romanos

manos *Patricii* (qui nempè Patres ciere quibant) ut & Nobiles erant (quorum nempè majores, Curulem gesserunt Magistratum. *Sigon.* 1. *emend.cap.* 48. *Iacob. Curtius conject. tom.* 1 .*lib.* 2. *cap.* 29. Nec ergò curandum esse videtur, quod Philosophi, Poetæ, Declamatores, &c. contra gentilitiam Nobilitatem inducunt. *Cornel. Agrip. de vanit. scient cap.* 80. *Erasm. in Colloq.* ἱππεὺς, ἄνιππος, & γάμος ἄγαμος. *Nicod. Frischlinus in orat. de vita rustic. Ens in Morosophia* 2. *cap.* 16. Ac certè Turcæ, qui Nobilitatem ex cujusque merito æstimare dicuntur; nullo modo hoc faciunt virtutis amore : *ut censet Busbequi. epist.* 1. *Legat. Turcicæ.* Sed planè politicum subest stratagema; ut nempe eo magis omnia dependeant à Principis judicio, atque nutu; & ne sint, qui propriis viribus atque auctoritate nisi, Principi resistere queant.

7. Nomen autem Nobilitatis, quamvis in latiori significatione, etiam Reges & Principes magnos, comprehendat; undè Gallicani Reges, illam quoq; consuetam jurandi formulam usurpant, *par la foy de gentilhomme*; & Pontifex Maximus, Electores quoque, Viros Nobiles, in literis vocat. Attamen nos hîc, de Nobilibus Subditis tractamus : quorum alibi (ut in Dania) nulli; alibi certi sunt gradus. Et nempè quidam Barones, quidam Nobiles, aut Stätt-Junckern: *de quibus singul. tractat. conscripsit Iohan - Iacob. Draco.*) appellitantur : quæ omnia consuetudo docet. Non ideo Nobilitatis definitio omnibus

populis

populis conveniens, adferri potest. *Heigius* 1. *quæst.2. num.63. Matth.Stephan. tract. de Nobilit.cap.1.*

8. Filii antè acceptam à Patre Nobilitatem nati, privilegiis Nobilitatis fruuntur: *argum.l.5. ff.de Senat.* Absurdumque esset, filium ignobilem, patrem nobilem esse: ac privilegia Principum, benignè sic extenduntur. Non tamen nobilis fit Rusticus, feudum nobile emens. *Tusch. lit. F. conclus.* 142. Hinc & nonnulli possident. Baronatus:, nec ideò Barones, sed **In haber der Herrschafft N.** indigitantur. *Matth.Stephan.de Nobilit.6.num.32.*

9. Cumque Nobilitas, non juris aut potestatis sit privatæ; haut ideò plebejus à Nobili adoptatus, Nobilis redditur, aut è contra Nobilis, si à Plebejo adoptetur, nobilitatem amittit. *Sigonius de Bononia fol.540. Camman. disput. de Majest.4.thes.* 34. *Bocer.de Regal.2. num.44.* Uxor autem ignobilis, nobili viro nubens, nobilitatem adipisci censetur; & talis etiam, quamdiu Vidua manet, reputatur. E contra autem, si Nobilis fœmina ignobili nubat, dignitatem amittit: quia in Familiam Mariti transit. *Matth.Stephan.h. cap.4. num.31. Camman.4. thes.31. &c.* Sicque contraria est Nobilitas servituti; nec ut hæc, ventrem sequi putatur, sed tantùm per agnationem propagatur.

10. Quamvis meritò nobilior reputetur ille, qui utrumque Parentem Nobilem habet: omne enim compositum, participat de materia

& forma. *Tiraquell.de nobilit.cap.18.nu.26.&c.* Indeque ad Canonicatus, & Ordines, ac quoque Ludos Equestres, **auff die Turnier**/ plerunque haut admittitur is, qui continuum, & certum numerum Aviarum probare nequit: **der seine acht oder sechszehen Ahnen nicht beweisen kan.** *Stephan.hoc cap.4.num.44. Schepliz. ad consuetud. Brandenburg.fol.6.*

11. Litteratura & Doctoreus gradus, nunquam: ut & exercitium mercaturæ, non semper Nobilitatis officit splendori: ut Venetiis, Genuæ, Florentiæ, Augustæ Vindelicorum, &c. fieri assolet. *Qua de re vide Iosi. Nolden. de statu Nobil.cap.23. qui quoque multas alias, hanc materiam concernentes quæstiones attingit.*

12. Nobilium Ordo, cùm ut alia omnia; mortalitatis casibus obnoxius existat; exindè opus est, ut indies resarciatur: non proindè deterioris conditionis judicandi sunt ii, qui non divitiis, aliisque inhonestis artibus; sed propter egregias virtutes, Nobiles facti fuerunt. Certè tales homines novos, si antiquiores vituperant, fontem & originem proprii sui generis dehonestant. *Arnisæ.5.polit.12.fol.301. Bocer.de Regal.2.num.46.* Hancque in rem egregiè apud Sallustium Marius: Comparate, inquit, me hominem novum, cum illorum superbia, quæ illi audire, legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi. Nunc videte, quàm iniqui sint? quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt, &c.

13. No-

13. Nobilitas *temporaria*, seu ad hæredes non transitoria, ea vocatur; quam habent Equites Aurati (Quæ sanè dignitas, tàm honesta olim reputata fuit, ut nec Reges eam assumere dedignarentur. 4. *Pasquier. 2. des recherch.* 13. *fol.* 213. *Claude Fauchet. tract. des Chevaliers.* Sicque Franciscus I. Galliarum Rex, manu Nobilis cujusdam, sed viri fortissimi, hanc dignitatem accepit. *vide vitam Petri Bayardi, cap.* 6. *ibique addit. fol.* 450.) & Comites Palatini. Qui spurios legitimant, famæ restituunt, insignia conferunt, Notarios creant, &c. *vide discurs. singul. Sagittarii in jure publ. Arumæi.* eaque potestas ex singulari quandoque gratia, ad hæredes transit; aut etiam Academicis Collegiis confertur: quod privilegium Facultatis Juris, in Incluta Academia Ingolstadiensi, contulit Ferdinandus II. Imperator.

14. Ad hanc speciem Nobilitatis, referri potest, quòd Doctores Legum, & maximè Iuris Professores emeriti, nobilitatem acquirere censentur. *Nolden. cap.* 5. In eoque Doctorum juris, meliorem conditionem, quàm Medicorum esse, notat Anton. Faber. *in C.* 9. *tract.* 28. *def.* 9. *&* *seq. Dn. Lans. tract. de Acad. fol.* 79.

15. *Milites* itidem, propter summam armorum necessitatem, eminentioris quodammodò conditionis censentur; ac in Iure veteri, quamplurima ipsis data fuerunt Privilegia: eaque adhuc durare, autumo omnino. *Baro Enenckel. tract. de privileg. Milit.* Ac etiam qui officia

Capitanei, vel sublimiora gesserunt, Nobiles dici queunt. *Tiraq. h.c.* 8.

16. Cùm autem Respublica, ex solis Nobilibus constare nequeat; necesse est, ut inibi quoque plebei sint, vel subditi inferioris gradus, puta Mercatores, Artifices, Agricolæ, Pastores, &c. Quorum dignitas seu prærogativa, non semper ex necessitate, sed magis ex artis ingenio & subtilitate, æstimari debet.

CAP. XVII.

DE SUBJECTIONE Rerum.

1. De Subjectione Personarum, hucusque disputatum fuit; nunc *Rerum* (quatenùs à Politico considerantur) aggrediar inspectionem: quatenus aliæ sacræ sunt, aliæ seculares.

2. Jure autem Romano, non solum res *Sacræ* (Diis scilicet superis) ac quoq; *Religiosæ* Diis scilicet inferis consecratæ) sed & *Sanctæ* (hoc est, legali sanctione cæteris prælatæ) cultum quendam habent; & in nullius bonis esse censentur. §.7.*&.seq. Instit.de rer.divis.l.sacra,ff. de tit.* Jure autem veteri Romano, (adhuc prophanitatem Ethnicæ Reipublicæ sapiente) res sacræ, publicis partim, partim Universitatis; Religiosæ verò privatis rebus accensentur. Cùm illas

illas sub Imperio civili manere, in his verò, privatos quoddam sibi jus retinere fuerit visum. Sed contra hæc jam suprà, *c.2.à pr.* disputavi.

3. Evanuisse etiam videtur differentia rerum Sacrarum, & Religiosarum. Nam hodie non ampliùs utimur privatis, sed publicis sepulchris, quæ Dormitoria sive Cœmiteria vocitantur: eaque non Religiosa, sed sacra potiùs (apud Catholicos, Da man sie weyhet) dici queunt. *arg.cap.ad hæc.extr.de Religios.domib.*

4. Potiùs ergò illa divisio est notanda: quod Rerum Sacrarum; aliæ directo & principaliter ad cultum Divinum spectent: ut Ecclesiæ, Monasteria, item Vasa & Vestimenta sacra, &c. aliæ vero per consequentiam; sive minùs principaliter eo referuntur; ut prædia, verbi gratia, agri, prata, pascua, vineæ; piscinæ, & similia, &c. Item Coloni & servi rustici, per quos illa prædia exercentur, atque coluntur. Et hæ non sacræ, sed Res Ecclesiasticæ indigitantur, quasque etiam Vultejus (*in jurisprudentia Rom.*) rebus quasi divinis accenset: quod & facit Forsterus, *tract. de dominio, cap 7. num.5.* cùm ad usum DEO servientiū sint deputatæ. Sed cùm illæ sint in Ecclesiæ dominio vere; *l.14.C. de sacrosanct Eccles.* & cùm earum certa æstimatio sit; ac usucapi queant, Divinæ appellari vix possunt. Huc referunt Patrimonialia Ecclesiæ bona, pro dote (unde & Widumbs Güter vocitantur) ad alendos Ministros, & ad fabricam, quæ sunt assignata; aut denique ad piam caussam relicti reditus,

tus, & oblationes. *Authen. omnes*, C. *communia de success. cap. relatum, & cap. cum. esses, extr. de testam.* Hæ autem alienari non queunt, nisi certa cum solemnitate, magnamque seu necessariam ob caussam. *Molina tom. 2. disput. 465. &c. Tuschus lit. A. conclus. 271. &c. Gilken. in com. ad §. sacræ. Instit. de rer. divis. & acquir. ear. domin. & ad Authen. hoc jus porrectum, C. de sacro sanct. Eccles.*

5. Sanctæ autem Res habentur; quibus utitur Civitas, ad sui tuitionem, & propugnationem. Et ita sancta loca sunt; quæ sacrata Legibus, Plebiscitisve sancita, pœnis adjectis, inviolata manent. Siquidem sanctiones, aut obtestatione, aut consecratione, vel pœnis consecrantur. Itaque Muri, & Mœnia Civitatum, quod illa transgredi non liceat, Sancta censentur. §. *Sanctæ, Instit. de R. D.* Hæque publicis, vel universitatis rebus, rectè accensentur. Itemque loca illa sancta dici possunt, da man einen Bürgfrieden anschläget: ac ubi, si quis delinquat, gravius, quàm si hoc idem alibi fecisset, punitur. At tunc non omnis ibi delinquens, hoc est, aliquem vulnerans ibidem; vel morte, vel manus mutilatione, puniri potest, nisi id factum fuerit dolo: quæ etiam olim fuit Lipsiensium sententia, apud Georg. Beatum, *in centur. var. cas. sentent Saxon. 50 fol. 89.*

6. Res autem seculares, aliæ Publicæ sunt, aliæ privatæ. *l. 1. ff. de rer. divis.* Et quidem Publicæ iterum subdividuntur; quædam enim

commu-

communes sunt hominibus cunctis: quò ad usum & proprietatem. Licet ad eas Imperium Populi, in cujus, territorio sunt, aliquo etiam modò (maximè ad illum usum conservandum, & moderandum) sese extendat. *l. 3 in princ. & §. 1. ff. ne quid in loc. publ. Forster. de Iurisdict. Rom. part. 2. fol. 495. &c. Peregrin. de jure Fisci. lib. 8. per discurs.*

7. Eaque ratione Publica sunt; Aer, Mare, littora maris. Sicque aere nemo prohiberi potest: & inde usque ad cœlum ædificare licet. Sic inventa in littore, inventoris dominio cedunt: ut & Insulæ, vel de novo natæ, vel cùm antè incognitæ erant, nuper inventæ. Veneti tamen dominium Adriatici maris, jure præscriptionis sese obtinere jactant. *vide Pacium tract. singul. de domin. Maris Venet.* Et mare per centum milliaria, ad proximum territorium pertinere, probat Alber. Gentil. *Advocat. Hispan. 1. cap. 8.*

8. Quædam porrò res, respectu solùm aliquorum, publicæ dicuntur: putà, vel totius alicujus populi & gentis; vel etiam unius Urbis. Sicque publica, & quasi populica (proprietatis, ac etiam Iurisdictionis ratione) censentur, Flumina, Portus, Viæ, Heer oder Landstrassen/ etc. earum nihilominus usu, omnibus hominibus existente communi. *§. flumina. ubi Theophil. & Cujac. Instit. de R. D. Wesemb. in parat. ff. eod.*

9. Publicæ, unius Urbis respectu, res *Universitatis* vulgò dicuntur: ut sunt Theatra, Plateæ, ædificia, ac spacia publica, pascua, Allman-

den/ &c. Earumque proprietas ad universos, usus vero ad singulos cives spectat, §.6. *Instit. de rer.divis. Bodin.*1. *de Repub. cap.*6. & quas ideo Principes, Cameræ suæ vindicare, nec debent, nec possunt; eadem planè ex ratione, qua nec privatis res suas adimere licet. *Thom.Michael. de jurisdict.cap.*61.

10. Res privatæ; quædam in patrimonio sunt Reipublicæ, vel Principatus, aut etiam Collegiorum, &c. gemeiner Landschafft oder Statt/ ꝛc. Wie auch deß Fürsten Kammergüter (quarum hæ postremæ, Domanium, dos aut bona Coronæ dicuntur) Quædam sunt singulorum, mereque privatæ: vel Principis (non ut talis, sed ut Theodosii, Iustiniani, ac hodie Austriæ Archiducis, &c.) aut sibi subditorum. *Hottoman.quæst. illust.*1. *& in Francogall. cap.*9. *à pr. Betsius de pact. famil. illustr. cap. ult. fol.* 724. *& seqq.* Dicuntur autem hæ res, jure privatorum possideri, respectu rerum Vniversitatis, quarum usus ad singulos spectat. *Losæus* 2, *de jure universitatis, part.*3. *cap.*1.

11. Quodque differentiam facio, inter res Universitatis (de quibus suprà *num.*9.) & Reipublicæ, sive Vrbis patrimoniales; hoc & juris nostri Interpretes agnoscunt, cùm dicunt: de his Civem, non vero de illis, testimonium perhibere posse. *Covarruv.pract.quæst.*18. *Mascar.de probat.conclus.* 1422. *Farinac. de testib, quæst.*60. *numer.* 495. Errant autem omnino illi, qui cum Novatoribus quibusdam, rerum omnium communu-

munionem, & frequentiùs seditiosè, introducere volunt: cùm ut illa statui primævo adæquata, ita eam natura nostra perversa, vix pati posse videtur. 2. *polit.* 2. *Conradus Summerhart, eximius quondam Theolog. Professor Tubingæ, de contract. quæst.* 8.

13. Verùm, licet dominium rerum privatarum, non sit in Majestatis potestate: ea tamen pro Imperio cavere potis est, quomodò, ac ne quis re sua male utatur. Quo intuitu dici solet, omnia quo ad Imperium ac Iurisdictionem, Principis esse: tenditque ea potestas, ad tuitionem, rerum etiam privatarum, earumque ordinationem, ne noceat Reipublicæ, & communi conversationi. Sicque nonnullis in locis salubriter cautum est, ne subditi sine Magistratus consensu fide jubeant. *Rutig. Ruland. decis. jur. controv. quæst.* 65. ne censum super bonis suis constituant. Würtembergische Lands Ordnung/ *fol.* 20.

CAP. XVIII.

DE FAMILIA, COLLEgio & Academiis.

1. DE Personis & rebus singulatim perpensis, pro instituti ratione satis: nunc de earum *compositione* agetur.

2. Simplices societates (conjugalis nempè, Patria & Dominica) si adunentur; Societates inde exsurgunt ortæ. Hæque vel particulares, & paucorum cœtus; vel Universitas existunt. Societas particularis, Familiam & Collegium complecti censetur.

3. *Familia*, est unius patris familias, herili imperio subjectorum, earumque rerum, quæ ipsis propriè sunt, gubernatio recta. *Bodin.* 1. *cap.* 2. Derivaturque ab Oscò verbo Famul, quod servum notat. *l.* 195. § *familiæ, ubi Alber. Gentil. de V. S. Bisciola.* 10. *cap.* 5.

4. Familiam autem, non faciunt duo, sed ad minimum tres requiruntur: Vxor, Maritus, Servus. *l.* 40. §. *de V. S. ubi Gentil.*

5. De Familia autem esse dicuntur solùm ii, qui habitant in domo: *Tuschus lit. F. conclus.* 11. *&c. Gratian. discept.* 132. *Chokier. de jurisdict. in exempt.* Idque notandum, in casu privilegii familiæ concessi.

6. Vnam item domum, sive Familiam unam, nunquam constituere Rempublicam, reputatur. *Bodin. d. loc.* Sicque Abraham ille credentium pater, familiam licet aleret ita copiosam, ut etiam cum Regibus pugnare fuerit ausus: non tamen in ea Rex erat. Toto enim genere, Imperium Regium, à familiari differt. *Muret.* 7. *variar. cap.* 4. licet inter se habeant similitudinem quandam. Vndè & Aristot. 1 *œconom. cap.* 1. *&* 2. domum parvam quandam Rempublicam vocat.

7. Fa-

7. Familia interdum quoque sumitur pro Stemmate, & Gente, seu serie agnatorum: *Bisciola* 9. *cap.* 17. Wehner. v. Stam. quod & faciunt nostri Germani, qui in eodem significatu usurpant vocem, Hauß oder Geschlecht. Quæ porrò in lineas dividuntur: verbi gratia, Das Hauß Sachsen / so in die Churfürstliche Coburgisch: Aldenburgisch: vnd Weymarische Lini abgescheiden. Sicque Iulius, gentis; Cæsar familiæ est nomen. *Dn. Bernegg. ad Sueton. Cæsarem, cap.* 1. Hocque in significatu, familiam à Fama (cùm sit nomen generis, diuturna forma in stirpes latè pervulgati. Bræchæ. *ad d.l.* 195. § *familiæ, de V. S.*) à femore derivat Isidor. *lib.* 9. quasi ex uno femore descendentes.

9. Nomine autem Familiæ, Cippi, sive agnationis, &c. fœminæ quoque comprehenduntur. *Castillo. quotid. cap.* 2. (maximè innuptæ) nisi ex præsumpta loquentium mente, adpareat diversum. Nunquam verò ex fœminis prognati. *argum. l.* 195. *in f. de V. S. Gail.* 2. *observat.* 2 *num.* 16.

9. Familias autem (nobiles & patritias inprimis) conservari, Reipublicæ interest maximè; ejusque conservationis gratia, introductæ sunt Fœminarum renunciationes, Primogenituræ, Majoratus, Fidei commissa familiæ (Erbstammgüter / Stammengenthumb) pacta seu statuta Familiæ, Feuda, restrictiones nimiæ dotis, exclusiones matrum à filii hæreditate, prohibitiones alienationis, & hypothecationis, retra-

ctus,

ctus,&c. *vide Tuschum lit. A. conclus. 244. &c.*

10. Cives in *Collegia* certa distribuuntur, secundum similitudinem studiorum, & officiorum: *argum. l. ult. ff. de excus. tutor. Tusc. hus lit. C. conlus. 452.* iisque sine colligiis, constare licet Respublica possit; talia tamen ut sint, usus publicus urgere videtur. *Bodin. 3. cap. 7. à princip.* Non solùm enim hac ratione in Democratico statu, commodè magis cum Civibus agi potest: sed & multifariè utile est, cuilibet artificio committi cognitionem, ad id pertinentium rerum *Matth. Stephan. de jurisdict. 2. part. 2. cap. 6. num. 62.* Ac talia instituit Numa, atque Solon. *Plutarch. in eorum vita.* vulgò. Zunfften (quasi Zusammenkunfften) Innungen (quasi Einunden) Gulden/ ꝛc. vocant. Wehner. v. Gulgenmeister. Corpus verò est conjunctio plurium Collegiorum. *Matth. Stephan. d. loc. n. 8.*

11. Hincque Legislatoribus placuit, ut opifices, aliique sodales, in suis Collegiis habeant aliquam formam Iurisdictionis: ac quoque condendorum statutorum, ac Ordinationum facultatem, iisdem concedunt: dum ne aliquid ex publica lege corrumpant, vel sibi commissæ administrationis limites egrediantur, nec ea monopolium aliamve sapiant iniquitatem. *l. f. C. de jurisdict. l. ult. C. de Colleg. Gail. lib. 2. oservat. 20. num. 29. VVehner.* v. Zünfften. Sed Statuta ejusmodi Collegialia, plerumque à superiori confirmantur *Ga l. 1. de pace publ. cap. 6. num. 10. Schneidvv. in §. 3. instit. de jur. natur. gent. &c.*

num.

*num.*14. Pro Monopolio autem habetur, si conveniant Collegæ, Daß keiner sein Waar näher verkauffen soll / dann der ander. *Tholosan. de Republ.cap.*1.*num.*4. Legibus quoque Imperialibus abrogatur illa consuetudo, vigore cujus der Bader / Barbierer / Müller / Leinenweber / Hirten / Zollner / Spilleût / Trompeter / ꝛc. Kinder / kein geschenckt Handwerck lernen können. Policey Ordnung. *Caroli V.artic.*31.*Dan. Moller.*2.*semestr.cap.*115.

12. Vnus quidem Collegii jus tueri potest: sed ad Collegii societatem constituendam, ut minimùm tres requiruntur. *l.*7.§.2.*ff.quod cujusq; universit.fac.c.*3.*de Elect.in extravag. commun.* (ubi unus qui remanet de Capitulo, Prælatum eligere potest.) *Moditius* §. *plebiscitum. dubitat.* 90. Quod secus est in iis, qui ratione officii, putà tutelæ, Magistratus, &c. sunt Collegæ. *l.*173. *de V. S.* 1. *de Magist. conven. l.*14. *de administr. tutor.* ubi duo sufficiunt.

13. Forma Collegii, ipsa inter se unio Collegarum, & ad mutua, ac debita officia (secundùm pacta conventa) obligatio, statui solet. *l.ult. ff.de Colleg.* Plerumque etiam, ibi est arca communis: *l.*1.§.1.*ff.quod cujusq; universit.*cujus reditus, Collegio (præter delictum) dissoluto, Collegis cedere videntur, *Bodin. dicto cap.*7. *num.*537.

14. Inprimis autem Collegia (maxumè in Aristocratia, & Monarchia) minimè pro cujusque lubitu, nec nisi & Legibus publicis habere

licet:

licet: ac non nisi magna circumspectione concedi debent. *l.* 1. *quod cujusque universit.* Occasione namque Tribuum, ac Collegiorum, facilè seditiones exoriri, & multa contra Statum tractari possunt. Idque ne fieret, post Smalcaldicum bellum, Carolus V. Imperator multis liberis civitatibus, Tribunitiam potestatem abrogavit. Sed differunt omninò Artificum Collegia, à Tribubus, quæ ipsam Reipublicæ administrationem, concernunt. *Ego dissertat. de jure Colleg. cap.* 1. *num.* 3.

15. Inter Collegia licita, atque necessaria, vel maximè litteratorum consociationes (quas fere *Academias*; aut etiam Vniversitates, propter studia omnium disciplinarum, quæ ibi vigent, vocamus) referendæ videntur: quibus nunquam ferè carere potuit terrarum orbis. *Lipsius de Lovanio.* 3. *cap.* 6. *& seq.* Harumque cura, imperanti minimè est negligenda. Nam certè, quales exhibet Schola, tales habitura est Ecclesia atque Respublica moderatores, ac cives. *vide Eunapii Panegir. de restaurand. Scholis. Camman: disput. de jure Majest.* 3. *thes.* 36. *& seq. addit. Limnæ. de jure publ.* 8. *cap.* 1. Nomenque Academiæ de sumptum est ex loco, ubi olim Athenis docebat Plato: qui olim, ut hodie Aristoteles, summæ sapientiæ habebatur *l.* 2 *ff. de Nundin. Steuchus de perenni philosophia,* 2. *cap.* 3. In Italia etiam Academiæ vocantur, privati Litteratorum conventus: ubi de variis rebus instituunt dissertationes. *Graßer. in Itinear. fol.* 162. 203. *&* 322. *&c.*

16. At

16. At constant Academiæ, rebus & Personis. Ad illas refero ædes, reditus, & si quæ alia inibi necessaria sunt. Sicque omninò ad perpetuitatem & bene esse, talium Scholarum, conducere ajunt; ut reditus sint in manu ab illis constitutorum administratorum, nec aliundè solvantur. *Bornitius de Ærar. cap.* 3. Ex iisque, Professoribus talia sunt salaria constituenda, quæ non tantùm sufficere profitentibus; sed & ad honorem eorum pertinere videantur. *arg. l.* 14. *ubi pupill. educ. l.* 12. §. 3. *de administr. & peric. tutor.* utque cùm senuerint, vigorque fuerit absumptus, victum nihilominus habere possint. *Dn. Lansius discurs. de Academ. lit.* 1 *fol.* 42. *Limnæ.* 8. *cap.* 3.

17. Inter personas, primus occurrit Rector, qui est executor Decretorum Senatus: quique in Germania ferè à Professoribus (non ut in Italia à Studiosis) eligi solet, & ex numero Professorum; vel etiam Generosorum & illustrium Studiosorum. Ejusque officium, rarò perpetuum est; non ideò, quia magna potestas debet esse temporalis; sed ne unius lectiones semper impediantur. *Middendorp. tract. de Academ.* 3. *cap.* 13. vide tamen Dn. Limnæ. 8. *cap.* 5. qui me copiosè refutat. Cui hoc unum regero, arcana politica, ad Rempublicam Scholasticam non pertinere.

18. Hunc Cancellarius sequi solet: qui vel Pontificis Maximi (cujus olim auctoritate Academiæ omnes confirmabantur) vel Episcopi,

R. P. Iacob. Gretserus lib. 1. observat. ad histor. Episcop. Eystett. cap. 21. fol. 25. Limnæ d. lib. 8. cap. 2. (nunc vero apud Protestantes, Principum, qui jura Episcopalia invaserunt) Vicarius est; ad eumque ideo appellationes, à Rectore devolvuntur.

19. Et porro, quatuor plerunque Facultates, Academiæ complectuntur; quarum singulæ sibi eligunt Directorem, seu Decanum. Sanè olim (ad exemplum militarium Scholarum) ferè quælibet Facultas, decem Professores habebat, qui totam diem legendo absumebant: ac etiam una hora, de eadem materia, alicubi duo profitebantur (æmulationis excitandæ ergo qui Concurrentes dicebantur, quod maximè in Italia fieri solebat. *Limnæ cap. 4. ad fin.*

20. Inter illas Facultates, Theologica meritò primum obtinet locum; post eam Iureconsulti, tum Medici, & denique Artium Professores subsequuntur. Licet Parisiis, Philosophi primarium obtineant locum. *Antiquitez de Paris, fol. 226.*

21. Hi omnes ab Academico Senatu eligi, à fundatore vero confirmari ferè solent. Cùm enim competat ipsi Collegii jus, penes eundem electio esse debet: ut etiam in Ecclesiis Collegiatis, Patronus haut nominandi facultatem habet. Sed quandoque Fundatores sibi cooptandi potestatem reservant: quod etiam magnam hebet rationem.

22. Ad potestatem Academiis concessam, pertinet

pertinet præcipuè facultas dignitatum scholasticarum conferendarum: ita ut Bullati Doctores, ex sententia quorundam, non iis per omnia privilegiis, quibus Academici gaudere reputentur. *Middendorp.* 1. *cap.* 13. *fol.* 128. *&c. Speckhan.* 1. *quæst* 22. *Limnæ cap.* 8. *num.* 13.

23. Infimus autem honorum Scholasticorum gradus est, *Baccalaureorum* (ut alii volunt, Battalariorum) post hunc Philosophiæ Magistrorum: & tandem in tribus superioribus Facultatibus, Doctorum. Alicubi autem, etiam Doctores Theologiæ, Magistri indigitantur: ac item in illis quoque tribus Facultatibus, Baccalaurei creantur. *vide meam dissertat. de Studios. Magistris, &c. cap.* 5. *& seqq.*

24. Gradus hosce, circa tempus, quo Petrus Lombardus, illud Sententiarum famosum opus conscripsit, Iusque Cæsareum ab Irnerio reductum fuit, initium sumpsisse probabile est. Eosque, secus ac Carolstadius, similesque Fanatici volunt (quibus & merito accensetur Lutherus. *R. P. Dn. Laurent. Forer.* 1. *de character fol.* 162. *&* 164.) licitè recipi, ac conferri posse, vix probabilem dubitationem admittit: quamvis ex humilitate, Viri magni, illos repudiarint. *vide Laurent. Surium in præfat. oper. Henrici Susonis. & Thom. Kempis, in vita M. Gerhardi magni, fol.* 917. *& seq.* Contemptum autem ejusmodi ritulorum parit, quod non raro indigni promoventur. *Caspar. Ens. Morosophiæ,* 2. *cap.* 19. unde quidam apud Tibullum 1. *Ecloga* 4.

Parce

Parce puer, quæso, ne turpis fabula fiam,
Cùm mea videbunt vana Magisteria.

Honoresque vilescere, Dn. Lansius scribit *de Academ. fol.* 85. *lit. N.* ubi dignus & indignus, simpliciter Ablativos asciscunt. *vide Cothman. respon. Academ.* 14. *num.* 75. *&* *Limnæ. cap.* 8. *num.* 5. *&c.*

25. Verùm, cùm eos, qui docendo, ejusmodi inserviunt Scholis, cùm & ipsos Studiosos, omnesque qui membra ejusmodi Scholarum dici merentur; honoribus variis præmiisque, ac inprimis immunitatibus, & privilegiis certis, optimè quæque institutæ Respublicæ sunt complexæ. Non solùm, ut in majore tranquillitate, studiis suis inservire queant, aliique ad literarum cultum, ea ratione invitentur: sed & quia ii, qui studiis in totum sunt addicti, ferè negligunt rem familiarem. *Limnæ. cap.* 8. *num.* 99. *& cap. seq. Ego de dissertat. de Studios.*

26. Insultant Privilegiis hisce, Aulici, Milites, aliique: quin & litterati, cùm ferè nec probi magis, nec aliis sunt prudentiores, interim verò tumeant scholastico fastu, semet & studia, odiosa reddunt; Privilegiorumque diminutioni ansam præbent.

27. Insuper & jurisdictio quædam, ejusmodi Scholis est annexa; quam ferè Rector exercet; eamque etiam ad criminales extendunt caussas, ex notissimæ. *Authent. habita.* sobrio intellectu. Ea autem, non territorii jure, sed in certas tantummodò competit personas. Unde si quis non

Stu-

Studiosus, in ædibus etiam Academicis publicis, delinquat, haut animadversio ad Rectorem pertinebit. *Dn. Lansius hîc lit. V. Cothman. respons. Academ.* 1. & 31. *Scip. Gentil.* 3. *de jurisd. cap.* 17. & *seq.*

CAP. XIX.

DE JURE UNIVERSITAtum, Territorii: ut & Republica ac Civitate.

1. SED nunc de *Universitate*, ita in specie ac propriè dicta, dicendum erit; quæ etiam communitas, sive Gemeind indigitatur. *Tuschus lit. C. conclus. ult.* Estque omnium Familiarum, Collegiorum; corporumque ejusdem loci, juris communione, Civiliumque commodorum sociata multitudo. Est autem universitas nomen juris, & persona quædam ficta; ex pluribus & singularibus personis constans. 3. *polit.* 7. *Moditius.* §. *plebiscitum, dubit.* 148. *Zas. ad l. sed si hac.* §. *qui manumittitur. ff. de in jus voc.*

2. Talem Universitatem triplicem faciunt nonnulli: unam largam, qualis est Provincia; alteram minùs largam, ut est Oppidum vel Urbs; tertiam minimam, ut est Castrum & Villa, seu pagus. *Bart. consil.* 89. *num.* 1. & *c. lib.* 1. *vide me, dissert. de jure universit. cap.* 1.

3. Oppi-

3. Oppidum vocamus, quod est Vrbe minus. *Isidor. 15. orig. cap. 2. tit. de pace tenend. lib. 2. Feud.* Et multis in locis (in Italia præsertim) ac in Germania etiam olim, Vrbis seu Civitatis nomen, non mereri putabatur ille locus, qui Episcopo carebat. *Lehman. 2. cap. 18. fol. 88.*

4. Vrbs porro, alia Metropolis est (cujus Episcopi dicebantur Metropolitani) quæ vulgo Hauptstatt/ vocitatur: alia à Metropoli pendens. Metropolis appellatur, quasi Mater, & caput reliquarum: talesque in sacris litteris. Filiæ vocantur. *vide Robbig. Critic. lib. 8. cap. 15.* Ejusque consuetudinem, & etiam Imperium quandoque, Vrbes aliæ minores sequuntur. *Ego ad t. 3. & 4. lib. 1. ff. quæst. ad fin.*

5. Ejusmodi autem Vniversitates, non solùm bona, res privilegia & alia jura; sed & Officiales habent, qui ea regant atque administrent. Et in jure nostro, Romæ qui erant Senatores, in Muncipiis Decuriones; *l. 32. C. de decur. lib. 10. l. 293. §. decuriones, ubi Alber. Gentil. de V. S.* nunc ferè Consiliarii (Rahtsmänner) indigitantur. Quibus ut olim Consules, Duumviri: ita hodie Civium Magistri (Burgermeister) præsunt, ex quibus unus alternatim Civitatem administrat. Lehman 4. *cap. 13. fol. 313. Thom Michael. de jurisdict. thes. 36.* Ac Consilium hocce Civitatis, vel cujuslibet alterius universitatis, totum populum repræsentat: & ejus actiones, omnes de populo obstringunt. *Losæ. de jure universit. part. 1. cap. 3. num. 46. &c.*

6. Ab

6. Ab hisque Administratoribus, Syndici differunt, ad caussas agendas constituti. Illi enim universum populum repræsentant: hi verò, illorum sunt ministri, sive Procuratores, aut Actores universitatis. *l.* 1 § *quibus. &* §. *ult. l. item eorum.* §. *actor, ff. quod. cujusq; universit. Rauchbar.* 2. *q.* 1. *à pr.*

7. De bonis autem suis Universitas, Principi rationem reddere non tenetur; nisi suspicio sit magni abusus: aut cives ipsi, conquerantur de mala administratione Decurionum. *Maulius de homag. cap.* 13. *Matth. Stephan.* 2. *de jurisdict. part.* 2. *cap.* 2. *nu.* 172. *&c. Consi. varia, à Laurent. Kirchovio collecta, tom.* 5 *consil.* 24. *num.* 200.

8. Vniversitas si contrahat ipsa, vel Concilium eam repræsentans, tunc illam efficaciter obligari, dubio caret. *Coler. de process. executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 337. *& seq. Kopen. decis.* 50. Etiamsi in universitatis commodum, pecunia non fuerit conversa: sed Principi mutuo data. *Brunning. de universit. thes.* 76. *vide tamen Wesemb. consil.* 111. *quæst.* 1. Non verò exinde particulares, eorumve bona, innodantur. *Gail. de arrest. cap.* 9 *Berlich tom.* 1. *conclus.* 52. *Trentacinq. lib.* 1. *tit. quod cujusq; universit. resolut.* 2. Ex Syndici verò contractu, nec ipsa Vniversitas obstricta censetur: nisi caussa obligationis, in rem Vniversitatis fuerit versa, idque Creditor probet. *l.* 27. *ff. de rebus credit. Hart. Pistor.* 1. *quæst.* 37. *Heigius part.* 1. *quæst.* 24.

9. Delinquitur item contra Vniversitatem,

non verò ea pro Cive agere potest: nisi caussa, simul universitatis jus concernat. *arg. l. sed etsi. § pretor. ff. de injur.* Ipsa quoque Vniversitas delinquere putatur; si hoc fiat ab omnibus, vel a parte majore, habita prius communi deliberatione. *Papon. lib. 24. tit. 12. arrest. 1. Mager. de Advocat. armat. c. 7. num. 753. &c. Schrader. part. 2. part. princ. 9. sect. 9. quæst. 35. 36. 38. Gigas de crimine Majest. tit. de rebell. quæst. 12. m. fol. 433.* Vbi tamen pœna ita est moderanda, ut ad innocentes (infantes inprimis, ac sequioris sexus) directè nullum incommodum pertingat: sed vel capita auctoresque criminis, vel ipsa Vniversitas, in qualitate Vniversitatis; hoc est, ademptione Privilegiorum, mœniorum destructione, &c. puniatur.

10. Ejusmodi item in Vniversitates, Principi vel Reipublicæ principali, Iurisdictio est Territorialis; eæque regulariter, Imperio mero atq; mixto, destituuntur. *arg. l. 28. l. 30. ad Municipal. l. 54. C. de Episcop. & Cler. l. 3. C. de natural. liber. Bocer. de jurisdict. cap. 8. num. 86. & seq. Scip. Gentil. 2. de jurisdict. cap. 7.* nec id, nisi ex Privilegio singulari, vel concessione habent. Suntque in Germania Civitates Municipales (seu provinciales) quæ vulgò mixti Status vocari solent quæ sua nempe jura, partim ab Imperatore, partim à Domino Territoriali (von ihrem Lands-Fürsten) acceperunt. *Ritter. de homag. cap. 4. num. 8. Matth. Stephan. 2. de jurisdict. part. 2. cap. 1. num. 18. Sixtin. de Regalib. 1. cap. 4. nu. 84. &c.*

sed

sed vide Gryphian.l.de Weichbild.c.23.34.& seq.

11. Quamvis autem Vniversitates (jura Reipublicæ non habentes) careant Iurisdictione: possunt nihilominus eæ condere statuta de his, quæ Vniversitatis, vel eorum Deputatorum administrationi sunt commissa. *Moditius* §. *plebiscitum. quæst.4. & seq.* Nam semper potestas faciendi leges, regulariter ex vi Iurisdictionis, & administrationis modo, quem habet is, qui leges facere cupit. *Brun. in l.omnes populi, num.5. ff. de justit.& jur.*

12. Nil etiam impedit, quò minùs Vniversitates suo jure, ad onera Vniversitatis sustinenda, Collectas & gabellas colligere, ac indicere queunt. Idque non fit vi Iurisdictionis, sed ex pacto & conventione eorum, qui in communem habitationem convenerunt: ac etiam jure ipsis concessæ administrationis, cujus particularibus necessitatibus, hac ratione subveniri solet. *Maul. de homag.cap.9 num.4.&c.*

13. Rerum universitatem, *Territorium* appellant: quod hîc sumitur pro certo districtu Iurisdictionis: undè id nonnulli, à terrendo deducunt. *l.239 §.territorium, de V.S. ubi Dd.Bisciola tom.2 lib.8 .cap.2.*

14. Idque non est semper continuum, seu conclusum; sed quandoque aliarum Rerumpublicarum Provinciis, locisque exemptis, interruptum (quod tamen multas difficultates parit) & indè aliud habetur *in*, aliud *de* Territorio esse.

15. Territoria varios terminos habent: (eos-

que Saxones Weichbild vocant. *Gryphiand. de* Weichbild/ *c.* 51. 71. *&c.* 77) montes scilicet stipites, fessas, vias regales, mare, fluminum ripas, &c. *vide Hieron. de Monte tract. de fin. regund. Valasc. de emphyteut. quæst.* 9. *num.* 26. *&c.* Hocque posteriori in casu; in Flumine ipso, usque ad medium, jurisdictio competit utrique. *Capoll. de servit. rustic. cap.* 13. *num.* 14.

16. Hicque quamplurimæ intricatæ quæstiones, occurrunt: an nempe die Durchführung der Maleficanten/ auch die Nacheyl zugestatten? Quis item habeat cognitionem, si in finibus quis sit occisus, ut corpore utrumque territorium tangat: aut si quis in aliquo territorio existens, quempiam in altero stantem, bombardæ pila petat, &c. De quibus omnibus *Bocer. de Regal* 2. *num.* 153. *&c. Ego in dissert. de jure Territor. cap.* 3.

17. Ex hisce societatibus, & rebus. *Civitas* propriè ita dicta, seu *Respublica* constituitur; quæ & interdum Populi nomine denotatur.

18. Civitas, si ratione magnitudinis consideretur: simplex alia, alia composita vocari potest.

19. At quemadmodum Respublica, in uno Oppido, vel Pago interdum existit (ut est Ragusa in Epiro, & in Helvetiis Uri/ Schweitz/ Underwalden/ Glaruß/ &c. atque aliæ parvæ Civitates) nec minus tamen Reipublicæ nomen meretur: pariter ut musca, æquè animal est, ac Elephas vel Equus. Quemadmodum etiam pari ex ratione, Civitatis vel Reipublicæ nomen, haut

Impe

Imperium illud amittit, quod Vrbes ac Provincias quamplurimas comprehendit. Quale est Turcarum, Hispanorum, & olim, ac etiamnum Romanum, &c. *Vt jam in præcognitis monitum fuit.*

20. Ratione insuper quantitatis, alia Respublica potentior & sublimior aliis existit: quo intuitu Theologi atque Historici, quatuor numerant (ac etiam ex Propheta Daniele eruunt) Monarchias: seu quatuor potentissima Regna, quæ successivè μοναρχεῖν, seu solùm præ cæteris quasi imperare visa fuere; putà Assyrium, Persicum, Græcum, Romanum.

21. Quorum postremum, Romæ fundatum, pòst in Græciam translatum fuit; ejusque jura, porrò ad Francos, tandem ad Germanos pervenerunt, qui ἀξίωμα obtinent ultimæ Monarchiæ, ut jam dixi suprà, *cap.* 1. Idque nunc Hispanos affectare, dicunt eorum calumniatores.

LIBER II.

DE CONSERVATIONE Civitatis agens.

1. Constitutione Reipublicæ utcunque absoluta; nunc quomodo ejus partes, officio suo probè debeant fungi, restat, ut dicam. Vbi omnium primò, tractatio de *Conservatione* Rei-

publicæ occurrit: quæ ſarta tecta conſervanda eſt, tàm à periculo corruptionis internæ, quam à vi externa.

2. Conſervatio Reipublicæ *interna*, in eo conſiſtit; ut [1.] ſubditi, bene recteque regantur: & tum etiam [2.] ut Status, ac forma Reipublicæ, à corruptionis labe protegatur.

3. At *gubernatio ſubditorum generatim* in eo conſiſtit [1.] ut ſubditi conjungantur invicem per concordiam, nec inter eos Factiones exiſtant. Quales olim in Italia erant variæ: inprimis Guelphorum, & Gibellinorum, Columneſiorum, & Vrſinorum: *Grafferus in Itinerar. fol.* 157. nec iis caruit Imperium Juſtiniani. *Procopius in hiſtoria ſecreta, fol.* 30. &c. [2.] ut adjungantur Imperantibus omnes, contentique ſint ſtatu præſenti; & item [3.] ut ſalus atque Bonum publicum, chariùs utriſque ſit, quàm privatim; neque vel ſua commoda, vel cupiditates ſequantur. [4.] Vt Iuſtitia exerceatur; ſine qua concordia inter cives non durat. 8. *Ethic.* 8.

4. Verum *gubernatio ſpecialis*, tum animi reſpicit informationem, ac directionem, tum alimentorum & pecuniæ (tàm publicæ, quàm privatæ) ſuppetentem copiam requirit: tum & curam corporum ſubditorum, vivorum æquè ac mortuorum, complecti videtur.

5. Ad informationem non ſolum Educatio pertinet; ſtudia item litterarum atq; Religionis veræ defenſio; ſed & leges, ac quoq; Magiſtratus.

LIBRI

LIBRI SECUNDI,

PARTIS PRIORIS,

DE CONSERVATIONE,

& gubernatione Reipublicæ, respectu subditorum.

CAP. I.

DE EDUCATIONE, STUdiis item literarum, atque Peregrinatione.

1. EDucatio ut curæ sit imperanti, cum primis necessarium esse videtur: *5.polit.9.& l.8.cap.1.&c. latè R.P. Adam. Contzen. lib. 4. politic. cap.1. & seqq.* quippè cum ea deficiente, inanes, sint Leges; beneque educatis, haut legibus opus esse videatur. Sicque apud cascos olim Germanos,plus valebant boni mores,quàm leges. *Tacit.de morib.German.*

2. Ex malis moribus, bonæ Leges quidem nascuntur; sed raro eæ sufficiunt, nisi educatio studiosa accedat. Eamque inprimis olim Sparta, aliæque Respublicæ antiquæ. *Cragius 3. de Rep. Lacedam.tab.3.instit.5.* sibi commendatam habebant, pessimeque negligi hodie solet: adeò ut

præſagium appropinquantis ruinæ univerſalis, nonnulli ex eo ſumant, quòd paſſim vident peſſimam liberorum educationem, indulgentiamque Parentum deplorandam. Ratio ſanè & doctrina (dicente Ariſtot. 10. *Ethic.cap.ult.*) non ſatis validæ ſunt, ad virtutem inducendam cauſſæ: ſed oportet priùs animum moribus excoli, &c.

3. Alia autem eſt inſtitutio eorum, qui Principes ſunt, vel ad Rempublicam gubernandam educantur; alia Privatorum, qui ad ſubjectionem informantur; diverſos ob fines utrorumque.

4. Principum inſtitutio, omni adulatione carere debet: nec ut jam Principes, ſed ut aliquando futuri, ſunt educandi. Ac ſanè nulla pernicioſior Principum, & totius Reipublicæ peſtis eſt, quàm ſi in media adulatorum, & paraſitorum Aulicorum turba, inter canum venaticorum latratus, Aularumque delitias, atque mollitiem, illi adoleſcant; ſi ad ipſorum placitum, & lubitum, circa ipſos omnia perſonent, &c. *Amirato diſcurſ.* 13.*c.*2. Indeque Regni Status, meritò conqueruntur, ſi Princeps non ritè educetur. *Cominæ.*2. *cap.*6 *ad fin.*

5. Inſtituendi verò ſunt artibus illis, quibus utrumque, & armorum & pacis tempus rectè poſſit gubernari: id quod ſine literarum, inprimis Hiſtoriarum, *Tyrius Max.diſſert.*12. & Politices cognitione, vix fieri poteſt. Et turpe eſt viro Principi, ſtatuta & ſcita Regni ſui ignora-

re; *l.2.§. Servius. de O.I.* turpius fidei articulos (si velit esse civis cœlestis) & quousque, illæsa conscientia, Politica potestas se extendat, non scire.

6. Sed verò literæ, non Scholasticè ipsis, sunt tradendæ; hoc enim si fiat, plus eos in prudentia politica deficere, quàm proficere, exempla haut pauca edocere videntur. Sicque in eo peccasse Platonem, Plutarch. *in Dione*, refert, quòd eum voluerit in Sophistam mutare. Vitiosam etiam, nimisque Scholasticam fuisse institutionem Sebastiani Portugaliæ Regis, refert Connestag. *fol.* 31. *&c.* Indeque nonnulli suadent; ut Magnates per discursum & conservationem, de rebus variis, architectonicè judicare discant: ac semper juxta se habeant, Viros litteratos, simulque prudentes, ac veteres Capitaneos, & Consiliarios pios. Hacque ratione profecisse dicunt Franciscum I. Galliæ Regem. *Sleidan. lib.* 19. Et teste Lampridio, Alexan. Imp. cùm inter suos convivaretur, aut Ulpianum, aut doctos alios homines adhibebant, ut haberet fabulas literatas, quibus se pasci, & recreari dicebat.

7. Privatorum quod attinet institutionem, placet magis publica, quàm privata disciplina, in sapientia & consensu totius civitatis fundata: *Quintil. l.* 1. *cap.* 2. modò non quasi contagio, condiscipulorum depravati mores, genuinam inficiant simplicitatem.

8. Prohibenda insuper omnia sunt; quæ juventuti scandalum præbere, vitiorumque occa-

ſiones ſuppeditare queunt; ut ſunt Lupanaria (quæ tamen majoris mali cauſſa, in Italia, & alibi tolerantur: eaque cùm Pius V. Pontifex Maximus hoc nomine verè dignus, tollere vellet, id non perficere quivit: ut alicubi refert Thuanus) Bacchanalia (ubi non ſolùm veſtes, contra Divinum præceptum mutantur; ſed & ſimulatæ ſtultitiæ occaſione, turpiſſima, & planè ſceleſta quandoque perpetrantur) ac item, Scenici ludus (in quibus vitia repræſentata, ſæpiùs diſcuntur. *S. Auguſtin.* 1. *de civit. Dei, cap* 32. *&* 3. *confeſſ.* 2.) ac quoque Saltationes; quæ olim corporis exercitium, nunc libidinum plerunque ſunt incitamenta. *Anton. de Sales in prax. ſpirit. part.* 3. *c.* 33. *Juſtus DecuIeon. in epiſt. fol.* 181.

9. Cumprimis autem Virtuti ſerviunt *Studia litterarum*, maximè ex vetuſtiorum Græcorum & Romanorum Sapientum inſtituto, ſi tractentur: ac nempè ad publicam utilitatem magis, quàm ad privatam delectationem ſi accommodentur. *vide Montaigne* 1. *des eſſais, cap.* 24. Talesque Philoſophi ſunt adprobandi, qualis fuit Helvidius Priſcus: qui, ut Tacitus 4. *hiſtor.* ait: Ingenium illuſtre, altioribus ſtudiis, juvenis admodum dedit: non, ut plerique, ut nomine magnifico, ſegne otium velaret: ſed quò firmior adverſus fortuita, Rempublicam capeſſeret.

10. Sed tamen nōn eo ſolùm fine, literæ ſunt diſcendæ, ut nos alant; ſed ut omni ſtatui proſint, vel ſaltem per totam vitam, honeſtam recrea-

creationem præbere queant. Virtuti ea serviunt, & magnum vel in ea comparanda adjumentum, vel in parata ornamentum existunt. *vide Tyrium Maximum differt.* 21.

11. Adhibenda itidem est cautio, studia ne passim permittantur moribus nociva; ac blanda quidem, non tamen salubria continentia: qualia magnam partem sunt lasciva poetica figmenta, *S. Augustin.* 1. *confess. cap.* 15. *&c.* & adhuc magis Amadisii, fabulæque similes aliæ; quæ vanam omninò, nec ingeniosam delectationem præbent. *R. P. Iulius Nigron. in orat. de lect. libr. amat. Possevin. in apparat. sect.* 4. *cap.* 3. *fol.* 312. *Pippre. des intentions. cap.* 94.

12. At si literas promovere velimus, non modo juvenibus; sed & Præceptoribus subsidia ne desint, opera danda erit. Qua in parte, Catholici inprimis sunt laudandi, qui Collegia habent Patrum Societatis Jesu Oratoriæ congregationis, ac Monasteria item quamplura; ubi commoda occasio meditandi, laboriosaque opera in lucem edendi, præberi solet. Ac præclarè Rex Regum Magnus Artaxerxes, Hellesponti Præfecto (*inter. epist. Hippocrat.*) Hippocratis Coi gloria artis, etiam ad me pervenit. Dato igitur ipsi auri, quantum voluerit, & ipsum ad nos mittito. Nam optimatibus Persarum æqualis erit. Et si quis alius bonus vir est in Europa, eum domus Regiæ amicum facito, &c.

13. Studia literarum, reformatione indigere multi putant; id ut non abnuerim in totum; ita

etiam experientia attestatur, multos, qui huic malo mederi cupiunt, à prisca integritate indies recedere magis. Ac prudentis insuper esse videtur; noscere mundi vanitatem, nec tamen adstipulari iis, qui eam curiosè nimis removere volunt.

14. Ac ideò, nunquam cum præcipiti applausu audiendi sunt ii, qui novas Didacticas procudunt (ut ante annos aliquot, impostor ille Ratichius) aut qui artem Memoriæ, vel Lullii venditant Pansophiam: aut etiam qui auctores, & interpretes priscos, è manibus excutere student: ut, verbi gratia, in Philosophia Petrus Ramus, in Medicina, & Philosophia, imperiti Paracelsistæ; in Jurisprudentia Antinomiarum insulsi extricatores, & Triboniano-Mastigæ: in Theologia Hæretici, ac inprimis Phanatici, VVeigeliani, Rosæ-cruciani, &c. satagere solent, ac tandem quoque, Compendiorum inconsiderati procusores sunt detestandi: quatenus Juventuti, commentaria prolixiora dissuadent. Sed de studiis, plura dextrè monentur à Dn. Adamo Contzen. 4.*polit.cap.7. & seqq usq; ad fin.lib.*

15. Studiis litterarum, succedat inspectio studii peregrinandi. De quo, an utile sit? variè disputari solet. *vide Senec epist.*28.*&* 29.*Iulii Belli, Hermetem polit.lib.*1.*Petr.Andr.Canonhier.dell. infelicità de letterati, & Guerrier.fol.*5.*usque ad fin.lib.*1. Est autem *Perigrinatio*, non improbanda in eo, qui corporis & animi ratione, ejus est capax: si modò rectè instituatur.

16. Nempè

16. Nempè si non regiones tantùm inspiciantur, & externa; non item ceremoniæ vanæ solùm addiscantur: sed recondita magis, quæ sunt in ipsa politia, indagentur. Neque exindè acquisita prudentia, ad statum nostræ Reipublicæ convertendum, usurpentur. Recteque nobilis quidam Neapolitanus: qui filio suo petenti, ut sibi liceret peregrinas invisere regiones, illud se ei concessurum promittebat, si primùm Romam, in vicinia positam, proficisceretur. Juvenis mandato obtemperans; cùm, quod jussus erat, fecisset, & Patrem de longiore peregrinatione sollicitasset; parens, cùm videret, illum ex peregrinatione nihil utilitatis percepisse, respondit: Fili, vidisti planities, montes, valles, castellas civitates, amphitheatra, Templa, palatia, columnas, statuas, ruinas, hortos, aquæductus, homines probos & nequam, divites ac pauperes, & quicquid unquam in orbe terrarum invenitur. Domi igitur te jam contine post hac, & quieti da. *Hieron. Turler. lib.* 1. *de peregrinat. cap.* 2. Poggius autem, hoc adscribit Rudolpho Principi Camertino. *facetiar. in fol.* 164.

17. Ac sanè si Machiavellus, veri unquam aliquid scripsit, illud est; *quod* 1. *disput. cap.* 55. felicem prædicat Germaniam nostram; quòd exterarum nationum careat conversatione. Hocque monitum, cùm neglectum fuerit seculo nostro (etiam ab iis, qui aliàs Machiavelli dogmata sequuntur) exinde novæ indies subpullulant exactiones, reputatio item parùm prodens, sed ca-

rò constans: ac quod pernitiosum præ omnibus est amicitiæ ac correspondentiæ quas vocant, cum Magnatibus exteris, magnitudini Imperii nostri inimicis, Germaniam passim invaserunt. Ac sanè prohiberi deberet, ne Germani filios suos mitterent Genevam, Leidam, similiaque in loca, ubi nil nisi odium erga Catholicos; domum Austriacam, universumque Imperium Romanum, illis instillatur.

CAP. II.

DE RELIGIONE.

1. PIETATEM & *Religionem*, Rerum omninò publicarum fundamentum firmissimum esse: fallique, qui humanis tantùm Imperiis, non ultionis Divæ metu, Respublicas contineri dicunt, Legumlatores & Philosophi statuerunt plerique omnes. *Bodin. de Repub.* 4. *cap.* 7. *Pippre. cap.* 49. & *seqq.*

2. Et enim si obedientia tantùm adsit externa, præmii vel pœnæ metu procurata, nec consideratio eorum, quæ post mortem futura, Divinique nominis reverentia, excitet vel terreat cives; Respublica gubernari non posse videtur. Eamque ob caussam, in Rebuspublicis bene constitutis, Athei semper puniti, vel odio habiti; cultusque Religiosus, vel verus vel falsus, in usu fuit.

fuit. Ac Plato *lib.* 10. *de Legib.* Si civitati & Reipublicæ debeat bene esse, duas potissimum opiniones, Civibus eximendas ait: primò, ne existiment, DEUM negligere, res atque actiones humanas: dein, ne sibi temerè persuadeant, Numen cœleste, facilè placari. Et alibi idem Plato, non vult in Republica credi DEUM esse peccati auctorem. Ex eoque Calvinistis religio non est, quid vis audendi.

3. Hincque DEI loquus Moses, *Philo de opific. Mundi à princ.* & pariter etiam Zeleucus, Locrensium eximius Legislator, *Diordor. Sicul.* 12. *cap.* 20. legibus suis tractationem de DEO, ejusque operibus præposuerunt: ac multi etiam fictitii Numinis cultu, Respublica vel constituere, vel conservare sunt aggressi: ut olim fecit Numa, idemque de Muchamede proditum invenimus.

4 Nullius autem DEI cultus extitit unquam, optimæ qui politiæ melius conveniat, quàm Religio Christianorum: cum summo studio inculcet metum superioris, & simul concordiam seu fraternam charitatem. *Lactant.* 6. *cap.* 10. *& seqq. ac de ira Dei, cap.* 12. *& seq. Augustin. Steuchus de perenni philos. lib.* 10. *cap.* 5. 7. 8. *&* 13. Sanè Patres Societatis Iesu qui Indiæ regiones nuper repertas, perlustrarunt; invenerunt ibi Principem quendam ejus regionis, prudentem, & providum; qui cùm simplicitatem Christianæ Religionis degustasset, etsi in consueta sua Idololatria, firmiter persisteret: attamen

men subdit's suis, ut fidem Christianam amplecterentur, permisit. Ea scilicet intentione, quòd sibi certò constare affirmabat: fore ut tributa & vectigalia, sine contradictione sint numeraturi, si Christianæ vitæ regulas, diligenter observarent. *Renat. de Lusinga, de increm. Imper. 2. cap.* 1. *ad fin.*

5. Sicque fallit, aut fallitur Machiavellus 2. *disputat.* 2. qui assecla apostatæ Iuliani, Christianam Religionem, animos dejicere, fortitudinique minùs aptos reddere tradit: quem satis reprobant expeditiones Constantini, Theodosii, & Caroli, Imperatorum verè maximorum; Bullionii in Palæstinam, nostrorumque Cæsarum in Vandalos, ac si quæ sunt aliæ, magis recentes, *Fr. Bozz. tract. de ruin gent. & Thom. Bozius de signis Eccles. Dei, sing.* 33 & 54.

6. *Ecclesiasticæ administrationis* partes sunt duæ: institutio Religionis, & custodia institutæ.

7. Circa institutionem autem, cumprimis hic est illud repetendum (ut & suprà dictum fuit) quòd ea non ad Magistratum secularem spectet; sed is solùm sit defensor, & executor, Ecclesiæ, ejusque legitimi capitis decretorum. Subditi autem meritò, ab omni innovatione abhortere; & Religionem eam verissimam censere debent, quæ convenit cum litteris sacris, institutis item ac traditionibus, Ecclesiæ Catholicæ, & ita antiquissima existit.

8. Nam sanè illa est Religio vera, quæ Catholica invenitur: eam enim nos credere, in Aposto-

postolico Symbolo profitemur. Quidque Catholicum sit? haud anxiè est inquirendum, sed verbi proprietas inspicienda: ex qua modernæ hæreses, uno quasi ictu deiiciuntur.

9. Iudaica quidem Religio, nomine antiquitatis, omnes vincere videri posset, sed tamen à Christiana, in eo solùm differt, ut à lumine umbra, ut res, à spe: ac item quatenus olim vera fuit, Salvatorem nostrum venturum expectabat quo nos nunc fruimur eodem, utpote verè advenit.

10. Superstitio verò Paganorum, loco DEI veri, Idola colebat, quæ Dæmones designabant, & Angelos nescio quos tutelares. Sicque ex Astrologia; Magia, aliisque artibus, confusum chaos erat. *vide Dæmonis Mimica, Henrici à Monte acuto.* Sed passim tamen apud Poetas priscos, & Philosophos gentiles, obvia sunt rudera, verioris Religionis: quæ ex Patribus collegerunt Iustinus Martyr, Theodoretus, Lactantius, Augustinus, Eusebius, Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Athenagoras, &c. ex recentioribus, Steuchus, Postellus, Raynaudus, è Societate Iesu aliique.

11. Saracenica autem, sive Mahumetana, carnalis planè Religio est (ex parte etiam politica, ut Boccalin. 1. *rag.* 64. docet.) quam Photiniam, novis & speciosis coloribus, adumbrare videntur. *Budavvez. in Horolog fol.* 237. *&c.*

12. Post veritatem, studendum est, ut Religio sit una: id cùm sperare forsan, fore aliquando, vix liceat; Hæreses (ut jam monui suprà,) Legi-

Legitimis remediis extirpandæ; diversæ in Republica Religionis quandoque tolerandæ: ac Pacem item Religioni, licet non veræ, datam, servari decet.

13. Ac talis in Imperio Germanico-Romano, Anno 1555. sancita fuit, quam à tempore Tridentini Concilii finiti, non exspirasse ajunt: sub ejusque umbra, etiam ii, quos Calvinianos vulgò vocant, diu tutò latuerunt. Sed hujus conniventiæ, pessimam sanè gratiam, Catholicis retulerunt Ac sanè illos, aliosque, qui à Catholicis, & Lutheranis dissentiunt, ea Pax discertè excludit. *Compositio Pacis cap.* 11. *quæst.* 80. Hosque qui admittunt, Autonomiam, hoc est, omnium Religionum confusionem, & consequentur Atheismum, inducere videntur. *vide Barclai. in Paræneſ.* 1. *cap.* 5:

14. Occurrunt hìc quæstiones sat intricatæ, & quæ bella civilia multiplicia, in Germania nostra procurarunt. (1.) An nempè Episcopus, aliique Ecclesiastici Magnates, ad Augustanam confessionem accedere, simulque ditiones suas retinere possint? (2.) An dominia, ad Episcopos, aliosve Status Ecclesiasticos spectantia, Catholicam professionem mutare queant? (3.) Quatenus hoc idem, Civitatibus Imperii liberis. (4.) ut & Vasallis alicujus Catholici Statu, concessum videri queat? (5.) An Principibus, Comitibus, &c. reditus Monasteriorum territorii sui, post Religionis Pacificationem: (6.) vel eorum saltem, quæ ante Intermisticam sanctio-

ſanctionem publicatam,immutata; ſed poſt per eam, ad ritus priſcos reducta fuerunt, aliis uſibus piis, aut Fiſco ſuo liceat applicare? De quibus,ſimilibusque aliis, prolixè agit dicta Compoſitio Pacis.

15. Antiſtites item Religionis ſunt conſtituendi, qui DEI merum, & Chriſti cognitionem, hominum mentibus, docendo & vivendo inſtillent. Hosque varia, ab omni tempore Privilegia, autque immunitates habuiſſe,hæcque iis jure quoque Divino competere, conſtat. Ea autem non ſolùm hæretici iis adimere, ac illos in ruſticorum & bajulorum ordinem redigere, perperam conantur: ſed & impii nonnulli politici, etiam alibi, diminuere, temerè conantur.

16. Hosque inter Antiſtites, diverſos admittunt gradus, ſi qui ex ſectariis magis ſunt circumſpecti; nec Anabaptiſtarum, ac Puritanorum approbant confuſiones: omnium tamen parem poteſtatem, ad prædicandum Verbum DEI, & adminiſtranda Sacramenta; planeque nullum in Eccleſia principatum agnoſcunt. *Meichſner.tract.de Legib. lib.4 ſect.2.q.5.f.571.* E contrà Catholici, Hierarchiam meritò urgent, ejusque caput viſibile, Pontificem Romanum eſſe ſtatuunt. De argumentis, hanc in rem,ex jure divino petitis, nunc non ago: ſed quid ea etiam externè proſit; apparet ex diuturna conſtantia, & duratione Eccleſiæ Romanæ: & mira confuſione hæreſium; quæ eas omnes, hactenus vel evertit,vel adhuc inſigniter turbat.

17. Circa

17. Circa custodiam Religionis, porrò etiam est sciendum; pia cum moderatione, sive privatim, sive publicè id fiat, de Religione licitum esse disputare. Sed interim, pietati magis, quàm acumini opera est danda: cùm timor Domini, initium sapientiæ deprædicetur; omneque acumen, non immeritò culpetur, si à pia simplicitate sit disjunctum. *Thom. de Kempis* 1. *cap.* 1. *& passim. vide Filesac.* 1. *select. cap.* 7. Sanè si quis non sit bene fundatus, haud sine magno periculo, controversiarum auctores tractat. Vndè Librorum hæreticorum Lectio, meritò inhibetur. *Bellarm. de Laic cap.* 20. *Piccart.* 7. *observat.* 10. Seculares itaque, magis pia, & devota, quàm controversias legere debent: ex illis enim ædificantur, hæ multos confundere; vel saltem scrupulum aliquem injicere solent. Omnem item obscœnitatem, & turpiloquia, ex civitate ejicienda, præcipit Aristot. *sub. fin.* 7. *polit.* Vt ita nullo modo culpandi sunt ii, qui è manibus Juventutis, auctores non Venerea solùm, sed & Sodomitica docentia, excutiunt, vel castrant.

18. Quis autem Judex esse debeat, si lis de Religione suboriatur? controversia est admodum controversa. Catholici, Ecclesiæ consensum, seu Concilia; ac interdum Pontificem Maximum, & quidem solum, pro tali agnoscunt. Ex-sectariis verò plerique, suggerunt SS. Scripturam: sed tamen alicubi etiam, Principes hisce in casibus, decidendi facultatem usurpant. Ac

certè

certè Scriptura de ſuæ ipſius interpretatione, nequit judicare: cùm tunc utrique, illius auctoritas prætendatur.

CAP. III.

DE PRÆMIIS, ET Pœnis.

1. QVIA autem informatio, perſuaſione quæ perficitur, apud plurimos ſufficiens haut apparet; neceſſe eſt, ut etiam juſſus accedat: qui fit præmii promiſſione, benefacientibus, & comminatione pœnæ, facientibus malè. Vndè Cicero 3. *natura Deor.* Non domus ulla, nec Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent, nec ſupplicia peccatis.

2. Etenim, quemadmodum formidine pœnarum improbi ac viles, coercentur: ita *Præmiorum* promiſſione, bonorum Virtus accendi ſolet. Quæ ratio apud Romanos ac veteres etiam Germanos, maxumè obſervata fuit: at hodie multis in locis, ut alia, quoque adhuc multa, magno cum Reipublicæ damno, negligi videtur.

3. Philoſophica quidem perfectio requirit, ut ſolius virtutis amore, bona faciamus, ſed ea apud paucos invenitur: ac, quia ſumptus neceſſarii ſunt ei, qui in luce hominum vivere velit, ut etiam exiſtimatio, præclarave dignitas (quam

vulgò Reputationem vocant) inde & Viri Civiliter boni, præmia haut contemnere solent. Sanè præmia ubi sunt dempta, ibi qui præmio aliquid dignum faciat, haut ferè invenitur ullus. Ipsa per se virtus, amara, atque aspera est; paucique post genus hominum natum, reperti sunt, pro sua patria, qui nullis præmiis propositis, vitam suam, hostium objicerent telis. *Cic. pro C. Rabirio.* Et indè apud quos maxuma proponuntur virtuti præmia, in eorum Republica viri præstantissimi existunt. *Thucydid.* 3. *Bornit. de premiis, cap.* 1. *&c.*

4. Præmiorum autem ratio, tùm utilitate, tùm & honestate est metienda: interdum quoque ex utrisque.

5. Honore, maxumè generosi excitantur: ut sunt largitio Nobilitatis, collatio Equestris dignitatis; ac olim Statua, Triumphus, Funebres laudationes, &c. Sanè ut animalium brutorum, si quod fuerit abjectius, cibo, aut delinimento, si generosius, velut equus, facilè mansuetum efficitur: ita generosissimi cujusque virtus, pretium nullum laborum, periculorumque suorum desiderat, honoris præter & gloriæ.

6. Inter præmia, quæ afficiunt utilitate, eminet cumprimis emeritorum pauperum, tractatio liberalis, Soldaten Spital / wolverdienter Amptleut Leibgeding: tùm & Uxorum, liberorumque eorum, qui pro Republica obierunt, sive fidelilia servitia præstiterunt, pia cura. Levanda enim est omnino paupertas, eorum homi-

mi-

minum, qui diu Reipublicæ viventes, pauperes sunt, & nonnullorum magis. *Vopisc.in Aurel.* Hocque si præmium speretur, non ut nunc fit perperam, studium omne ponetur, in divitiis privatis accumulandis. Ac præ cæteris hodie, longissim a temporis recepta observatione; non tam grati, quàm liberalis & munifici, ita erga Patres sunt Veneti, ut etiam in liberos eorum, ea liberalitas propagetur, qui vel in toga vel sago, utilem patriæ operam præstiterunt. *Bembus histor. Venet. 2. fol. m. 79. Camerar. 2. meditat. cap. 5.*

7. Verum in Democratia, aut Aristocratia, non consultum esse videtur, ut præmia nimia, vel tali cum utilitate conjuncta sint; quibus meditantibus, eam aliquis potentiam acquirere possit, ut Concivibus, vel libertati communi, fiat metuendus. Hincque apud Romanos, Magistratus non nisi annui erant: nec etiam ii, Provincias unquam alicui donaverunt: ut postea nostrates fecere Imperatores, qui Feudi jure, sat opimas ditiones, variis concesserunt,

8. Præmii etiam maxumi, nec tamen sumptuosi loco est; si Princeps clementer alloquatur suos, iisque liberum præbeat accessum, &c. Ac quoque Princeps & Respublica media multa habet, subditis suis, officia præstita, vilibus etiam rebus remunerandi. *Amirato. lib. 2. discurs. 2.* Fürstliche Tischreden. *lib. 2. cap. 26.*

9. Porrò Præmiorum distributio harmonica, æquissima reputatur; secundum quam o-

mni-

mnibus, ſed non uno modo, ea dividuntur.

10. At verò, Reipublicæ maximè habetur pernitioſum; ſi præmia, quorum diſtribuendorum cauſa in virtute poſita eſt, indignos ſequantur (adùlatores putà, gnaviter pocula exhaurientes, lenónes, vilioraque officia tractantes) Ea namque ratione, vel vitia præmiis excitantur, vel utilem Reipublicæ operam navantes, offenduntur. Recteque Lucius Philippus *in fragmen. Salluſtian.* Ubi malos præmia ſequuntur, haud facilè quiſquam gratuitò eſt bonus. Et peſſima ideò eſt ratio præmiorum, quæ cum danti, tunc accipienti, indignitatem adfert. Sicque Carolus IX. Galliarum Rex conſpurcat vitam, quòd erga Albertum Tudium fuerit liberaliſſimus; non tamen inveniatur, qua in re ille excelluerit, quàm quod Rex ab eo nomen Dei jurare didicerit. *Camerar.* 1.*medit.cap.* 4.

11. Vitiosè etiam præmia paſſim vulgantur: dignitas enim & honores vileſcunt, ſi indifferenter omnibus conferantur. Hacque ratione, Tiercelinus (antiqui moris in Gallia Eques) mordaci dicterio, indignabundus ſæpè dicebat: Torquem Conchiliatum, poſtquam indignis communicari cœpiſſet, non tam fortium virorum inſigne, ſed omnium beſtiarum collare eſſe. *Thuanus lib.* 23.

12. Cùm autem ita comparatum ſit, ut verba, doctrina, ac præcepta, poſſint quidem liberalia ingenia cohortari, & excitare; at reliquos, qui ſunt multò plurimi, nequeant impellere ad virtutem.

tutem. Aristot.10.*Ethic.cap*.9. Ideo *Pœnæ* pariter, multas ob rationes, necessariæ in Republica sunt: *Agellius* 6.*Noct.cap*.14. Ac quidem primo, ut qui fortuito, vel ex humana imbecillitate deliquit, attentior fiat; quæ magis castigatio est, quàm pœna. Hocque intuitu Hispani dicunt: *No ay tal raZon,como la del baston.*

13. Secundo, ut dignitas, authoritasque tàm DEI, quàm Magistratus, qui per delictum læsi sunt; vindicetur, & sarta tecta conservetur. *Deuteron.*21.*vers.*7.8.& 21.*Iosu.*7.*vers.*27.

14. Tertia ratio vindicandi, reputatur; cum punitio necessaria est propter exemplum: ut nempè alii deterreantur. *Lyclam.* 1, *membr.* 9. Tuncque inclementia pœnæ ad unum, aut paucos; fructus ad omnes pertinet. *Nov.*3.*cap.*12.

15. Quibus & quarta addi potest: ut scilicet putre politici corporis membrum, abscindatur; quique indignum se reddidit aliorum consortio, vel è Mundo tollatur, vel saltem relegetur. Unde quidam Poeta:

Cuncta priùs tentanda; sed immedicabile vulnus,
Ense recidendum est,ne pars sincera trahatur.

16. Et sic causæ pœnarum mitigandarum, eruendæ sunt ex rationum, ob quas eædam infligi solent, defectu. Aliàs locum habet, quod Symmachus dicit, 1.*Epist.*30. Moribus sævis, familiare est, atque cognatum, armare spiritus, impunitatis exemplo.

17. Igitur, quando spes est, ut qui deliquit, se-

ipſum corrigat citra pœnam; aut jacturam dignitatis, in quem peccatum eſt, metuere non neceſſe habemus; at non tale eſt peccatum, cujus exempli neceſſario metu ſuccurendam ſit, aut delinquens adhuc in Civitate tolerari queat: tum Imperans circa pœnam, vel in totum, vel ex parte diſpenſare poteſt. In dubio autem, vel quando cauſa ſubeſt, mitior ſemper ſententia, in caſu, quo de pœnis agitur, eſt ſequenda. *l. 5 ff. de pœn. Camerar. 1. medit. cap. ult.* Et laudem apud Hiſtoricos invenit, Emanuel Luſitaniæ Rex, qui Conſiliarios ſuos commendare ſolebat, ſi quando ullam potuerint invenire rationem, qua reos ab ultimo ſupplicio liberarent. *Botero 1. d. detti fol. m. 24.*

18. Aliud porrò eſt, pœnam ei ex juridica cauſa mitigare; aliud ex gratia condonare. Hoc ſolus, qui ſummam habet poteſtatem, facere potis eſt; illud quilibet judex haut negligere debet. De hisque latè agit Tiraquell. *tract. ſingul.* ut & Farinac. ac Covarruv. 2. *variar.* 9.

19. Vix poteſt autem tali pœnæ impunitas dari, quæ eſt juris Divini, aut ubi ipſe DEUS, offenſus eſt directè: ut in blaſphemia, magia, homicidio, &c. fieri ſolet. *Molin. de juſtit. & jur. tom. 4 diſp. 48. Arniſæ. de jure Majeſt. lib. 2. cap. 3. num. 6. &c.*

20. At in pœnarum pariter, ac in præmiorum diſtributione, harmonica ratio eſt obſervanda: 5. *Ethic.* 7. *Arniſæ. 1. polit. c.* 18. Sicque vita anteacta; ut & nobilitas, ac dignitas ejus, qui deli-

deliquit, suo modo considerari debent. *Muretus 8. var.25. Scip. Ammirat. 2. discurs. 7. vel invito Machiavell. 1. com. 24.* Si namque in eodem delicto, Nobilis & alius, conditionis vilioris, æqualiter punirentur, ille graviori pœna afficeretur: plus enim habet, quod per pœnam simul amittit; famam nempè, & dignitatem, qua hic caret. *l. 16. §. 3. de pœn. l. ult. ff. de incend. ruin. Lehman. 4. cap. 12. fol. 308. Sesse. decis. lib. 1. cap. 11.* Sunt tamen crimina, propter quæ, majori pœna digni videntur Nobiles, quàm de vulgo alii. *argum. l. item Lex Iul. Peculat. Instit. de publ. judic. l. 8. in fin. C. de Episcop. & Cler. l. 29. C de adult.* Sicque Gallicus quidam auctor scribit: *Aux crimes d'Estat, il ne se faict point de compensation du merite, à la faute.* Talique in casu magis sunt timendi, qui Nobiles vel potentes.

21. Quemadmodum verò Præmia, pro Reipublicæ incremento augenda; ita & pœnæ, crescentibus delictis, sunt exasperandæ. *l. 16. §. ult. ff. de pœn. Farinac. lib. 1. de delict. ac pœn.* Quæ ratio, pœnam furti capitalem, excusare videtur. *arg. l. 1. in prin. de Abigeis. Molina tom. 3. disput. 695. Clar. §. furtum, vers. sed quæro.*

22. Nova tamen supplicia, non sunt excogitanda. Quod docet Perilli, Phalaridisque exemplum. Ac ita in Anglia, crudeles pœnæ ignotas; & tamen delicta non magis frequentia esse, dicit Thomas Smith. *2. de R. Angl. cap. 27.* Ac porrò artis multò majoris est, si Politicus efficiat, ne facinora perpetrentur; quàm si patrata,

 con-

condignis suppliciis afficiantur. *Morus Vtop.* 1. *fol.* 57. *Laurent. Grimal. de optim. Senator. fol.* 153. Pariter, ut illi Medici inprimis sunt commendandi: qui per diætam alias rationes procurant, ne quis invalidus reddatur: magis ac si remediis nauseabundis, restituant sanitatem. Id autem fiet, si causas, ex quibus animadverterint potissimum flagitia nasci, recidant, si queunt; vel certè præmant, & attenuent, Rerumpublicarum moderatores. *Erasm. in Instit. Princ. Boccal.* 1. *rag.* 58. *ad fin.*

23. Præstat item, pœnarum multos esse gradus; nec enim quasi per saltum, & non nisi in extremo necessitatis casu, ad ultimum supplicium rectè pervenitur. Hoc enim exigit ratio suppliciorum, ut nemo pereat, nisi quem perire, etiam pereuntis intersit. *Lencius observ. polit.* 292. Sicque infami fustigationi (quæ omne medium, ad frugem perveniendi excludit) merito præferenda est condemnatio ad trirremes, & si quæ alia ratio iniri potest; ut pœna non capitalis, tàm deliquenti, quàm Reipublicæ profit. Hocque fine, Ergasteria, Zucht-oder Spinnhäuser / opera publica, &c. salubri consilio instituuntur. Pœnamque operarum, probat etiam S. Augustinus *epist.* 159. *&c.* De Ergastulisque videri potest Lipsius 2 *Elector. cap.* 15. Nec spernendus est Turciorum mos, qui verberibus sat sævis, absque infamia tamen, cædunt levioris delicti reos.

24. Consultum etiam videtur, ut Carceris squalor, in iis præsertim, qui mortis sunt rei, mitigetur.

tigetur. *Parthen. Litigios.* 1.*cap.* 14. *num.* 26.*&c.* Nec apud Romanos, carceres ita squalidi erant. *Senec.l.*1.*de Tranquill.cap.* 10.*Lips.excurs.ad Tacit.* 3.*Annal.f.* 511. Hincque subterranei carceres, in Gallia prohibiti sunt: teste Bodino. Qualis Athenis fuit, Puteal dictus 4.*polit. ult.* Et Germanorum veterum crudelitatem, ratione captivorum, culpat alicubi Froissart. Hujusque indicia sunt carceres teterrimi, adhuc in arcium vetustis ruderibus extantes: ubi semper præcipua Turris (*Diion* Gallis) carcerem profundissimum habet in imo.

CAP. IV.

DE LEGIBUS.

1. POENÆ &. Præmia, ut & alia in Republica, à Magistratibus sunt distribuenda. Cùm verò omnia sint incerta, quando à jure est discessum: meliùs censetur pœnarum præmiorumq; distributionem, *Legibus* certis quàm mero Iudicantis arbitrio committi. Iudicium quippe humanum, non vagum solùm, atq; difformè; sed & affectibus non rarò obcœcatum esse solet. Hincque statim post diluvium, Deus Optimus Maximus leges aliquas Noaho præscripsit. Ac etiam antiquissimis temporibus earum inventum, Græcis communicavit Ceres. *Diod.* 1. *n.* 14, *Polid.Virgil.de invent.rer.*2.*c.*1. *Cunæ.* 1.*de*

Repub. Hebræ. 1. Ac ominosa est ratio gubernandi, ubi Magnates suo ex sensu, sua per rescripta & decreta, disponere cuncta; imò potius omnia turbare volunt: quemadmodum Caligula olim efficere voluit, ne quis respondere possit, propter eum. *Sueton. in vita, cap.* 34. *ubi Casaubon.* E contrà, rectius à Capitolino laudatur Macrinus, qui inducere voluit, ut jure, non rescriptis ageretur.

2. Leges verò publicè edendæ: *G. Forner.* 1, *select.* 24. & eas ita conscribi decet, ut ab omnibus intelligantur; & nec ulla ex parte obscuræ, ac quoque ut breves sint. *Borell.* 2. *de Magistrat.* 5. *Parthen. litigios.* 1. *cap.* 7. *num.* 21. *&c. Boccalin.* 1. *ragguagl.* 72. Quales erant Moysis, Solonis, & illæ XII. Tabularum. Estq; indicium morum depravatorum, perniciosissimæque litium multiplicationi ansam præbet, aliter si fiat. De Zeleuco, memorat Strabo: illum Thuriis paucas olim, & simplices dedisse leges: sed secutos, alias per subtilitatem, & nimiam curam addidisse: ex quo factum sit, ut celebres magis, quàm boni redderentur. Additque dogma, quantivis pretii: Bonis uti legibus; non qui omnes iis sycophantias, aut calumnias cavent, & excludunt: sed qui simpliciter latis, firmiter inhærent. Sanè non multæ leges, bonos mores, bonum Ius faciunt: sed paucæ, fideliter servatæ. Multitudo legum magis intricat, quàm extricat causas. *vide omnino Montaigne lib. ult. cap. ult. fol.* 1074. *&c.* Legumque copia, Iustitiæ inopia existit.

3. Sunt autem leges, vel Naturales, vel Positivæ. Et quidem naturales;vel nobis cum brutis communes, vel homini ut homini, ipsa recta ratione dictitante, agnoscuntur: *5.Ethic.*10. Ius Gentium primævum vulgò vocant, & reliquiæ videntur naturæ,necdum à lapsu depravatæ: unde juris etiam Divini nomine, indigitari queunt. *Arnisæ.de Majest. 2.cap.3. num.5.&c.* Hocque Cic.1.*&* 2.*de legib.* definit, rationem summam, insitam in natura: quæ jubet ea, quæ facienda sunt,prohibetque contraria.

4. Leges Humanæ, sive positivæ: vel sunt generales, vel speciales. Illas Ius Gentium secundarium appellant: ad conditionem hominis scilicet accommodatum; ut nunc est post lapsum, ab omnibusque gentibus approbatum. Quò pertinent Dominia, Contractus, Bella, Servitutes, &c. At positivæ speciales, illæ censentur, quæ à populo quolibet, vel usu diuturno, vel certa sanctione sunt approbatæ: ut est Ius Civile Romanum, Atheniensium, &c. quod à principio quidem, utrum ita, vel secus constitutum sit, nihil refert: postquam verò constitutum est, refert: ut alicubi Aristot. ait.

5. Leges verò Naturales, immutabiles sunt: *Arnisæ. d.cap.3.fol.* 264. nisi quod interdùm per Ius Civile determinantur. *arg.l.6.ff.de justit. & jur.* Omnes autem Leges positivæ, eadem ratione & modo, quo introductæ, iterum commutari queunt. Undè Cardin.Zabarell. *in cap. cum tanta, extr. de consuet.* Positivas dici autu-

mat, quia positæ in voluntate Principis sunt; & sub perpetuo motu.

6. Civiles quoque Leges, ad Populi naturam, ac ad Rempublicam accommodari: neque simpliciter optimæ, sed quæ accommodæ maxumæ sunt illi politiæ, quàm Legislator informat, adprobari debent. 3. *polit.* 7. *in fin. & 4. cap.* 1. *ad fin.* Eadem ferè ratione, qua corporibus nonnullis, cibi boni succi, & medicamenta aliàs pretiosa non convenire, sed perniciosa magis esse, experimus. Et hoc porrò apparet: debere considerare legislatorem in dandis legibus, quòd non det optimam legem simpliciter; sed optimam illæ Politiæ, quam informat. Populus etenim imperfectus & vitiosus, non poterit legem perfectissimam tolerare. Nec indè vocari malas leges propter hoc, sed convenientissimas: quia conveniunt fini, & statui Politico.

7. Eandem etiam ob causam, politicis seu judicialibus Mosaicis Legibus; nisi quatenus ratione naturali nituntur, haut obligantur Reispublicæ Christianæ.

8: Sunt quippe illæ, vel Cæremoniales (quæ post adventum nostri Salvatoris, non secus ac umbra, per lucis accessum, evanuerunt) vel Politicæ aut forenses (quæ una cum Republica Iudæorum, exoleverunt) vel denique sunt Morales; jus illud Gentium primævum, naturaleque humanum repræsentantes. *vide R. P. Becan. in Analog. cap. 5. per. tot. & in Theolog. Scholast. tit. de legib. cap. 4. per. tot. Molin. tom. 6. disput. 50. & multis*

multis seqq. Thom. à Iesu. de convers. Gent.7.cap.
37. Ubi tamen iterum notandum venit; alicubi, forenses simul & morales leges implicari, Sicque prohibitio adulterii, furti, &c. ex morali, generalique ratione descendit: ipse verò pœnæ modus, in arbitrio Civilis Legislatoris, situs esse videtur, Homicidio tamen excepto; quod nempè ex talionis æquitate, & prima post Diluvium sanctione, si dolosum sit, capitale esse debet.

9. Legitibus porrò latis, naturaliter earum interpretatio, Prudentium desiderat auctoritatem. *l.2. §. his legib. de O. I.* Nec constare jus potest, nisi aliquis sit Iurisperitus, per quem quotidiè in melius produci possit. *l.10.& seqq. ff.de legib.* Hincque necessitas cùm Iuris Civilis, tùm Iudiciorum adparet; quarum neutrum (nisi ratioie abusus) vituperari potest.

10. Ius Civile hîc voco, artem Iuris: Legum nempè, secundum æquum & bonum, Facto, multiplici varietate circumstantiarum informato, prudentem applicationem; quo intuitu, aliud est scire Leges, aliud Iurisprudentia præstitum esse. In eoque consistit differentia, inter Iureconsultum, & legum (in thesi) notitiam habentem.

11. Sanè Ius Romanum, non ut Lex, sed inprimis quatenus continet artem illam æqui & boni, seu leges quascunque rectè interpretandi, riteque applicandi modum docet, in Scholis docetur. Interim manet provinciis singulis, jus suum certum, subditorum moribus, & statui accommoda-

modatum. Olim Germania, Saxonico partim, partim Suevico jure, utebatur: Undè **der Sachsen: und Schwaben Spiegel.** Et multi dubitant, an bono omine, Leges vetustiores, & simpliciores abolitæ, Iusque Iustinianæum fuerit introductum. *Lipsius monit. polit. 2. cap. 10. fol. m. 142. & cent. Epist. miscell. epist. 78.* Et ab initio viri in Germania magni, iniquiores fuerunt Doctoribus Iuris: ut testari inprimis potest Reformatio Friderici III. Imperatoris, quæ habetur apud Goldast. **in den Reichs Handlungen.** Et Wehner. *in comm.* **der Rotweilischen Hoff Gerichts-Ordnung**/ *fol. 7.* Sed aliter sentiunt rerum moderati censores; aliudque docuit experientia posteriorum seculorum.

12. Et certè necessaria sunt ad artem Iuris (non solùm leges Romanas, sed & omnium Gentium Statuta, ac consuetudines explicantem, contrahentium item, testatorum, &c. mentem eruentem) varia illa, vetustiorum inprimis Interpretum commentaria, tractatus, Consilia, decisiones, conclusiones, &c. & quæ ideò, utcunque infinita esse videantur; propter multitudinem tamen & varietatem casuum, vix adhuc sufficientia esse; attestari possunt ii, qui in praxi satis sunt versati, & dùm casum in terminis quæ-runt, sæpiùs sollicitæ inquisitionis fructu destituuntur.

13. Ut verò minimè culpandi sunt illi, qui verum eruunt Legum & constitutionum Romanarum intellectum; ad eamque omninò pertinen-

tinentem antiquitatem, investigant. Quod summo inprimis studio Cujacius, Hottomannus, aliique fecerunt: ita solùm conciliare apparentes legum contradictiones; & quidem earum, quæ in praxi parum conducunt: operosa & inutilis subtilitas, ac ingeniorum (quæ aliis studiis, acutiora & habiliora reddi possent) deploranda carnificina esse videtur. Hisque assimiles sunt illi, qui jus obsoletum, operosè nimis tractant: & de Iure, magis superstitiosè agunt, ac si in foro Romano versarentur, digni, qui ad Elysæos Campos relegentur, ut ibi Ius dicant Romanis. Stulta est phantasia, difficiles habere nugas. Et rectè Iustinianus, *Novell.* 21. vetera curiosius perquirere, & ad præterita tempora recurrere, confusionis potius est; quàm legislationis.

14. Multi etiam processuum abbreviandorum, varias rationes quæsiverunt: *Pet. Frider. in præfat. & lib. 2. cap. 71. sect. 6. Card Cusa, de concord Cathol.* 3 *cap* 40. *Lather. de censu.* 2. *cap.* 5: *& seqq. Cod Fabr.* 9 *t.* 22. *Wehner in observat. practic.* Nonnulli quoque, Turcas imitandos esse voluerunt, quorum Cadi, verè summariè causas cognoscunt. Sed ut hoc, non nisi in Republica dominatu oppressa, fieri, consultum esse videtur; ita Germaniam nostram, non tàm longævitas litium, quam deficiens executio sententiarum, perdere videtur.

15. Lex porrò justa, licet per tempora, & causa cessante, justè mutari possit, non id tamen facilè fieri debet. Consultum quippe est, ut Po-

pulus Leges pro Oraculis habeat; earumq; contemptus ex commutatione frequentiori, oriri ſolet. Ac ita culpanda inprimis eſt curioſitas eorum, qui temerè Leges (aut aliquid in Religione) immutant. 2 *polit.* 6. *ad fin. Boccalin.* 1. *rag.* 72. Eoque nomine reprehendi Iuſtinianus, à Procop. *in hiſtor. ſecreta. fol.* 61. *ubi vide not. fol.* 49. Viciſſim apud Dionem, *lib.* 5 *fol.* 501. Mœcenas ad Auguſtum: Leges firmiter retine; neque quidquam in his muta. Quod & veteres Germani, ſtudioſa cura obſervarunt. Chriſtoph. Lehman. **in der Speyriſchen Chronick**/ 2. *cap.* 27. qui *cap.* 61. *ad fin. & ſeq.* ſuadet, ut leges maturo conſilio ſanciantur; quo poſſint perennare.

16. Et Leges tandem, in duplici differentia exiſtunt. Aliæ n. ſunt forenſes, aliæ ad Civilem ſpectant diſciplinam: hoc eſt, Statum, vel etiam mores reſpicere ſolent. Illas vulgò **Landrecht**/ has **Landsordnungen** / indigitare ſolemus. Hæque poſteriores, magis ſunt curandæ, quàm illæ, quæ ſolùm expediunt lites. Vnde ſunt **Gaſtung: vnd Kleyderordnungen**/ ꝛc.

CAP. V.

DE MAGISTRATIBUS.

1. POST Iura, Legesque cognitas, conſequens eſt, ut de iis dicam; qui vel Iuri dicundo, vel Legibus ſunt præfecti.

2. Inter

2. Inter quos primùm occurrunt *Magistratus*; qua voce propriè denotatur omnis is, qui est cum potestate, sibi à summo Imperio concessa. Magistrare namque, est imperare. Sicut è contrà ministrare, servire. *Festus & Scipio Gentil.de Origin.fol.277.*

3. Prima autem pars optimi Imperii, in eo consistit, ut Princeps sit bonus; altera, ut bonis & idoneis ministris utatur. Turpissimum autem est, Magistratus impartiri ex favore: *vide omninò les commentaires de Blais, de Monteluc lib.7 fol.*195. intelligo, ait Symmachus, 10. *epistola* 15. quanto plus sollicitudinis habeat Magistratus, qui ex judicio, quàm qui ex gratia venit. Impium verò est, talia officia, pecunia redimere (ferè semper enim qui officium emit, id vendere solet.) *Novell.24.cap.2.1.Paradin. histor.de Lyon.2.c.* 97. *inf. Filesac.*1. *select.*15. *Pasquier.*4 *cap.*15. Stultumque existit, cum eligere; qui vel ob eruditionis, vel aliarum qualitatum defectum, quod munus susceperit, haut noscit. Sanè debent viri strenui esse, timentes DEUM, odio habentes lucrum. *Exod.*18. *vers.*21. *Theodoret. contra Gentes, fol.*9. Recteque olim Athenis, qui ad Magistratum admitti cupiebant, vitæ examen subire cogebantur. *vide Lysiam, orat.* 15.16.& 30. Ac debent omninò testimonium habere vitæ anteactæ, *Borell.de Magistr.*1.*cap.*16. *Langlæ.*7 *semest.cap.*11.

4. Num verò Senes vel Iuvenes; Divites, vel Pauperes; Nobiles, vel Ignobiles ii sint? principaliter

paliter in considerationem venire non debet. Senes prudentia valent, Iuvenes promptitudine expeditionis. Divites sponsorem suæ fidelitatis, patrimonium habent; Pauperes ditari volunt. Sed tamen virtutes sunt nonnullæ, quæ pauperes magis commendare solent. Quod idem de Nobilibus & Plebeis, dici posse videtur. Maximè tamen est consultum, ut ex omni statu ob factiones evitandas, ad Magistratus, aliasque dignitates assumantur. *Qua de re latè egi in dissertat de Magistratib. & Censorib. cap.* 1.

5. Indigenarum tamen, ac Civium, potiorem quam peregrinorum haberi hac in parte rationem, omnibus ferè gentibus placuisse invenimus. Idque legibus fundamentalibus multorum locorum (ut in Anglia, Polonia, Suecia, Dania, &c.) est cautum. Videturque Princeps, peregrinis nimium fidendo, res novas contra veterem Statum, & Privilegia, moliri; quod tamen pro regula haberi non debet. 5. *polit.* 10. *Bodin.* 6. *cap.* 5. *Lather. de censu,* 3. *cap.* 16. *Schifordegher.* 3. *tract.* 30. *quæst.* 1. *& multis seqq.* Sed in Italia, Iudices esse debent peregrini, partialitatis evitandæ ergò. Quod & in Gallia observatur, ubi nemo in patria tale officium exercet. *Itinerar. Graßer.* 1. *fol* 194.

6. Idem homo pluribus Magistratibus non rectè præest. 2. *polit.* 9. *Plutarch. tract. de Rep. gerendi Piccolom. in Ethic. grad.* 10. *cap.* 21. (nisi aliud suadeat Ærarii paupertas.) Ut nec is, hîc idoneus censetur; qui vel otii amore, vel odio

Reipu-

Reipublicæ, invitus suscipit tale onus: neque item, qui vel ex ambitione, vel lucri studio, id affectat. Quo intuitu, invitis Magistratus commendavit Alexand. Serverus imp. *Lamprid.* & ambitum omnes gentes sunt detestati. *Alexan. ab Alexand.* 3. *cap.* 17.

7. Vir bonus, Reipublicæ utilitatem magis, quàm dignitatem spectat: nec ideò officia parva contemnit: Non enim virtutibus, ex dignitate; sed ex virtute dignitati honor accedit. *Boet.* 2. *de consolat. prof.* 6. *Piccart. dec.* 14. *cap.* 9. Certè omninò Reipublicæ consultum esse videtur, ut gradatim conferantur honores: *l. ult ff. de munerib. Pippre, des intentions, cap.* 109. *Scip. Ammirato,* 3. *discurs.* 3. Sæpè enim Magistratus demùm Virum ostendit, & de eo, qui in rebus gerendis, fidelitatis & industriæ nondum edidit documentum, sufficiens num sit oneri injuncto, vix judicium facere licet.

8. Bonus porrò civis, vocatus ad Rempublicam accedere non renuit. *Boccalin* 1. *ragg.* 69. *Talenton. in Thesaur. rer. var.* 3. *cap.* 13. *Ego in axiom. de Consil. polit. cap.* 3. In Græcia olim, Philosophi Rempublicam capessere noluerunt; sed aliter fecerunt optimi quique Romanorum: quos imitari hac in parte, è re magis esse videtur; saltem ne locus pateat malis. Ad maximè corruptam verò Rempublicam, nunquam est accedendum; & sapiens illo tempore silet, ac si fieri potest, latet. Plaut. *in Mercat.*

Vbi mores deteriores increbrescunt in dies,
Vbique amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere;
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas.

9. Magistratus, pro cujusque Reipublicæ statu, gradibus suis distinguuntur: ut alius major, alius minor esse dicatur (aut alius super mille, alius super centum, alius super decem constituatur. *Exod.* 18.*vers.*21. Concessio itidem illa, qua Magistratui subalternum aliquod Imperium, vel Iurisdictio confertur; pro moribus & institutis cujusque Reipublicæ varia est. *Cabotius* 2. *disput. var. cap.* 5. Sic in Romana olim Republica vel speciali concedebatur Lege, Senatusconsulto scilicet, principalive constitutione, aut jure Magistratus competebat. *l* 1. *ff de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Sed ex usu hodierno, Iurisdictio & Imperium, jure Feudi ac successionis, ferè venit. Et ita nunc Iurisdictionalia, in patrimonio esse censentur. *Klock. de vectigalib. thes.* 15.*a. Schifordecker. part* 3 *tract. penult.*

10. Et porrò Magistratus quidam, interdum Iurisdictionem, judicandique facultatem, alii administrationem patrimonii publici, tantùm habent: quos vulgò Verwalter / Einnemmer / Schösser / &c. vocitamus. Aliquando verò hæc munera concurrunt, pro usu & consuetudine cujuslibet loci.

11. Magistratus in omni Reipublicæ forma, haut nimis potens; aut si talis, non perpetuus

esse

eſſe debet. Quem in ſenſum Æmilius Probus: Miltiades, inquit, multum in Imperiis, Magiſtratibusque verſatus, non videbatur poſſe eſſe privatus: præſertim cùm Imperii conſuetudine, ad imperandi cupiditatem, trahi videretur. Hacque etiam occaſione, Cæſar ad Monarchiam pervenit. Sic & majores Domus, Galliam ſub primis duabus Regiis familiis, perdiderunt. *Lehman.3.cap.17.19.20.22.* Hocq; monitum, quod à Germanico-Romanis Imperatoribus neglectum fuit; quodque opima Feuda, jure perpetuo & autocratico, Principibus, aliisque Magnatibus conceſſerunt; id illorum potentiam minorem feciſſe: Gallorum viciſſim Regum Majeſtas, exindè major reddita videtur, quòd potentes inibi Ducatus, (Burgundorum ſcilicet Britannorum, Nortmannorum, Aquitanorum, &c.) fato ſingulari, cum Corona, coaluerunt.

12. Nimia item potentia, vel favor Belli Ducum Regibus plerunque eſt ſuſpectus (ut teſtari poteſt Conſalvus, Peſcarius, Iohannes de Auſtria, Parmenſis, &c.) maximè ſi ſint ex familia multum illuſtri.

13. Magiſtratus autem omnis, in officio ſuo magis juſtitiam, quàm lucrum (undè munerum acceptatione, nil magis nocet in Magiſtratu. *Exod.23.v.2.Eſa.1.v.23.Borell.1.c.9.*) aut cujuſvis favorem, reſpicere debet: maximè in judicando. Iudicium enim DEI eſt; eoque nomine, DEO & Iuſtitiæ magis, quàm etiam Principi eſt devinctus. *Act.4.verſ.19.cap.5.verſ.29.Ioſeph.4. antiquit.ult.*

14. At

14. At Princeps, vel alii Majestate pollentes, si non ipsi inspectionem habeant in officiales; ii plerunque, ut in re aliena, pessimè versantur: hincque Appellatio, Revisio, Supplicatio, Syndicatus, &c. descendere. *Ego de Appell.* 1.*sect.*3. Et sic Philippus Valesius Testamento cavit, ut post mortem suam, inquisitio in Magistratus fieret. *Le grand. Aumosnier fol.*242.

CAP. VI.

DE CENSORIBUS ET Consiliariis.

1. VT Legibus Iudices, ac Magistratus: ita moribus præficiendi sunt *Censores*; qui ea, quæ Legibus nequeunt definiri, & quorum nomine actio, nec Civilis, neque Criminalis datur, corrigant, notent. *Chokier in aphorism.*5.*cap.* 10.*fol.* 281.*Lips.*4.*polit.*11.*Bodin.*6.*cap.*1.

2. Hæcque Censura, olim apud Romanos maximà in authoritate, usuque erat. Ac habebant ibi Censores, maximarum, minimarumque rerum, præcipuè circa morum disciplinam, cognitionem; animadversionemque: de quibus leges, aut non scriptæ, aut quæ judicio pœnali, haud dignæ videbantur. Inquirebant enim, quo se quisque modo, domi suæ, intra Laris penetralia, erga uxorem, liberos, erga servos, erga propin-

pinquos, necessarios, vicinos gereret? Quæ institutio liberorum, quæ disciplina: Undè victus, & amictus, quis opum usus, quis abusus, quis focus & mensa? &c. *Amirato.* 11. *discurs.* 2. *Alex. ab Alexand.* 3. *cap.* 13. *Crinit.* 4. *de honest. discipl. cap.* 3. Hocque institutum, magno certè malo, hodie in Rebuspubl. nostris ignoratur. Quamvis Venetiis, ac etiam Genevæ, ex parte sit usitata; hancque aliquantum æmulentur, **Die Kirchen Eltisten/ Rueggericht/ &c.** Apud Catholicos verò, eandem resarcit, strictior observatio confitendi. Censuræque olim loco erant, Equestrium certaminum spectacula, **die Turnier.** *Kirchner. orat.* 24. *& seq. Vischer. de Duello, fol.* 432. Censuraque etiam quasi erat, Comœdia vetus: *Horat.* 1. *satyr.* 4. cui nova satyra successit. *Horat.* 2. *satyra* 1.

3. At verò Censores, expertes Imperii ut sint; consultius esse videtur. Ut etiam apud Romanos, notam, non infamiam eorum judicia infigebant. *Cic. pro Aul. Cluent. Petr. Gregor. Tholos.* 4. *de Republ. cap.* 12.

4. Nec item ii omnia, simul emendare, sed paulatim singula corrigere debent. Præsertim, si nova sit institutio Censuræ; aut morbi existant magni, & inveterati. *Philostrat.* 5. *de vita Apollon. Richter. axiom histor.* 29.

5. Ac porrò Principis Vita, & Aula, Censura optima est; & speculum, ad quod vitam subditi componant. Sanè plerunque Principei mores, cuncti, & Aulici inprimis imitantur. At Aula ubi

est

est corrupta, ea labes, contagii instar, nunquam non latius serpit: *Ecclesiast.* 10 *vers.*2 *Grutter.in discurs.ad Tacit.fol.*47. *Amirato* 3.*discurs.*9. *Lather.*2.*de censu,cap.*1.*Pippre.cap.*4 Sicq; prorsus Censuram suis temporibus de propriis moribus gessit Alexander Severus Imperator. Imitati sunt eum magni viri; & uxorem ejus matronæ prænobiles. *Lamprid.* Ac Latinius Pacatus, in Panegyric. de Theodos. A te voluisti incipere censuram, & impendia Palatina minuendo; nec solùm abundantem rejiciendo sumptum, sed vix necessarium usurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendasti volentes, &c.

6. Insuper *Consiliarii* in omni Statu, ac item ei Principi necessarii sunt, qui consilio proprio pollet. Maximeque in Democratia & Aristocratia, ut Senatus sive Consiliarii sint ab Archontibus sejuncti, necessarium reputatur. Idque Rempublicam Romanam diutius conservavit; Atheniensis, ut citius semetipsam destrueret, neglectio præcepti hujus effecit. De utilitate autem, & necessitate Consiliarium, *in axiomat. de Consilio politico egi*: inibique etiam regulas, in consiliis dandis quæ sint observandæ, congessi.

7. Nec quoque Princeps laudatur, qui unius tantum amici consilio utitur; cùm ille favor summus, vel Principem, vel Consiliarium, vel etiam Regnum tandem perdat: ut inprimis testatur Sejanus, Narcissus, Tigellinus, Perennis, Cleander, Plautianus, aliique ab illustri Enenckelio,

lio, cap. 1. *sui Sejani* relati. Ut & à Zeilero, in seinen trawrigen Geschichten. *fol.* 690. *&c. ac fol.* 838. & à me, *de consil. polit. cap.* 4. nominati: ubi etiam eorum artes, ad longum recensui. Quod & facit Boccalin. 2 *rag.* 4 *ac quoque P. Matthieu in Sejano.*

8. Porrò certis negotiis, certi, atque peculiares Consiliarii sunt adhibendi: si enim ii negotiis variis distrahantur, rariùs excellere possunt. *Ego de consil. polit. cap.* 5. Succedens item Principi bono, ministros fideles, quorum industria, prudentiaque, Antecessor in summis rerum difficultatibus usus est, abjicere haut debet. *Ego d. loc. c.* 6. Sanè novi Consiliarii, novum inducunt imperandi modum: quod est contra status rationem, quæ in eo maximè consistit, ut Imperium perpetuum, æquale, & non interruptum existat. Seneca in Medæa:

Constitit nulli, via nota magno,
Vade quà tutum populo priori.

9. Consiliariis ergò, tali Salario est prospiciendum, iique hac ratione sunt tractandi; ut ei, à quo conducti, perpetuò inserviant: nec qui scholares assumpti, abeant Doctores; & arcana Reip. cui operam præstiterunt, prodere queant.

10. Consiliarii (maximam partem) indigenæ, nec tantùm ex Nobilium Ordine; *Kirchner. in Cancell.* 3. *cap.* 3. *Ego de consil. polit. cap.* 8. ac nulli præterea Principi sint devincti. Sicque Liberæ præsertim Civitates, iis Consiliariis uti haut debent, qui vicinorum Nobilium, vel Magnatum

gnatum Pensionarii, eorumque Processibus sunt implicati. Hispanis enim veriverbium est:

No dexera de mentir

A un sennor, quien sirue à dos.

Et pro arcano habuit Ludovicus XI. Galliarum Rex, ut vel donis, vel pensionibus, aliorum Principum ministros sibi conciliaret. *Cominæ. lib.4. cap.add. Bo:cal.2 ragg.35.& 45.*

11. Requiritur autem in Consiliario, fidelitas inprimis (quæ, ut in Theologicis, ita & hîc, fundamentalis est Virtus: & cujus contrarium vitium, perfidia nempè, veneni instar inficit cunctas ingenii insignes qualitates.) Est certè fidelitas magis, quàm scientia probanda. *El amor de los Reyes, consiste en fe, mas que en sciencià.* Perez. Inprimis autem, absque pietate, nemo bene consulere potest: ponitur namque Consilium inter dona Spiritus sancti. Cumque ratio, omnia contingentia comprehendere non possit; ideò homo indiget dirigi à DEO, per Consilii donum. *S.Thom.2.2. quæst.*52. Et vitiis conspurcatus, vel non est fidelis Domino suo; vel ejus Consilia, felicia non existunt.

12. Requiritur porrò, Magnanimitas (omnis tamen temeritatis, quæ sub ejus larva sæpius latet, expers) ut & candor; qui opponi solet adulationi. Ita ut Consiliarius noster (si necesse sit) cum, vel pro Patria mori: ac. (suo modo) etiam non requisitus monere ausit.

13. Detestandi itidem sunt, qui plus Principem, quàm DEUM timent; eoque divinam planè

nè abigunt benedictionem (cujus absentiam, nullus felix sequi potest eventus) ut & quorum Consilia astuta, & callida magis existunt, quàm fida atque pia. Ingenia item summa, acria & vivida (pietate præsertim exuta) minimè ad res gerendas, exequendasque accommoda ; aut in civili conversatione grata esse : magis item rebus turbandis, quàm restituendis apta esse videntur. *De quibus omnibus in Axiomat. de consil. politic. latiùs egi.*

14. Inprimis, non eo usque omnes curas in Consiliarios rejicere debet Princeps, ut ipse nullam earum partem attingat.

15. Ut consilii non fraudulenti, haut ulla est pœna ; ita omnium criminum, nullum ferè magis duram meretur animadversionem, & accuratiorem requirit inquisitionem, quàm consilium dolosum. *Ego in axiom. cap.* 18. *Tuschus lit. C. conclus.* 762. *&c.* Sed tamen, ut in Medicina, sic & hic, lata etiam culpa non caret ; si quis ingerat se rei tali, cui sese non sufficientem esse scit, vel scire debet.

16. Tandem etiam est notandum, non satis esse, Consiliarios ære conductos habere : sed & in Comitiis (**Reichs: vnd Land Tägen**) cum Ordinibus Regni, frequentes, ac solennes esse instituendas deliberationes. *Lehman.* 2. *cap.* 12. *&c.* 37. *ac seqq. mult. Cusa.* 3. *de concord. Cathol. c.* 12. 33. *&* 35. Ac in genere Comitia sic describi possunt ; quod sint conventus, totius corporis Imperii, aut partis, ad aliquid sciscendum decernen-

cernendumve, Reipublicæ causa. *Bertram. de Comit. num.* 8.

17. Sanè cuncta Regna, à Teutonicis nationibus fundata (ut sunt Imperium Germanico-Romanum, Francicum, Anglicum, Suecicum, Danicum, &c.) absolutam dominationem detestantur; & saltem ratione gubernationis, ad Aristocraticam rationem declinant: ac ideò Reges, ad Statuum (qui ex Ecclesiasticis, Nobilibus, & Civitatum Deputatis plerunque constant) convocationem (in rebus præsertim gravioribus) adstringunt. Quorum porrò scita, faciliorem promptioremque habent executionem. Aulico Politici è contra, Consilia privata (*les Conseils d' Estat*) utilia magis Principi esse, suadere solent.

18. Et verò in mixto statu, ejusmodi Senatores, simul etiam, tanquam pars Magistratus publici, potestatem habent de Republica statuendi. Nec minus tamen in Monarchiis absolutis, ut conventus habeantur addecet; in quibus deliberationes publicè instituantur. *Andr. Rey. discurs. de Consilio. num.* 9. *fol.* 550. *&c. Ego in Axiom. cap. ult.* Æquum namque est, ut subditorum consensu suscipiantur, quæ sine eorum corporali ministerio, pecuniarioque subsidio, perfici non possunt.

CAP.

CAP. VII.

DE ÆRARIO.

1. CONSILIARII, ut vicem sedemque obtinent mentis; ita (quod & jam monui *supra lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 53.) in *Ærario* consistit Reipublicæ nervus, robur & motus. *l.* 1. §. *in causa*, 20. *ff. de quæstionib. d.l.* 22. §. *huic accedit. C. de administr. tut. Ego tract. de Ærar. cap.* 1. Ejus autem præcipua ratio conservandi, in bene, parceq; collocando, sita videtur. *Prov.* 13. *v.* 1. Parsimonia enim, summum est vectigal: ut vulgatum proverbium habet. Ac eo intuitu, Hispani dicunt, *Mas vale regla, que renta.* Recteque Mecœnas ad Augustum, *apud. Dion. lib.* 52. Divitiæ magnæ, non tam multa accipiendo, quàm non multos sumptus faciendo colliguntur.

2. Ærarium enim, largitionibus & ambitione si exhauriatur, per scelera plerunq; suppletur: hincque prodigus omnis, tandem fit exactor. *Joseph.* 16. *antiquit. cap.* 9. *Richter. axiom. Oeconom.* 78. 83. 122. Recteq; apud Cassiodor. 1. *var. epist.* 17. Rex Theodoricus: Indigentiam justè fugimus, quæ suadet excessus. Præstat ergò Principem esse avarum (modò non injuria aliquid extorqueat, & quemlibet frui patiatur suo) quàm si prodigalitatis vitio laboret.

3. Juvat hîc inprimis, Peculatus, aliaq; Fisci deterimnta, severis Legibus præcavere; omnem-

que pompam, & vanam reputationem devitare: quæ ſanè cuncta ridicula ſunt, ſi non ſuppetant Vires, tandemque neceſſariò minuent exiſtimationem.

4. At locupletandi Ærarii alia ratio eſt, qua ſemper, ſeu ad futuros caſus; alia, qua tempore ſummæ, præſentisque neceſſitatis, uti Reſpublica poteſt. Et in priori quidem caſu, omne ſubditorum gravamen eſt deteſtandum. Indè enim ii, male contenti redduntur; nec ita finem, quò Imperantes tendunt (Imperii nempè firmitatem ac conſervationem) hac adipiſci ſolent ratione. Haut item DEUM, res humanas curare, is credere videtur, qui perſuaſum ſibi habet, numos præter jus exactos, Reipublicæ poſſe prodeſſe. Si qui ergò ſunt Conſiliarii, qui ſe non juſtitiæ, ſed utilitati Domini ſui inſervire debere putant, hi maledictionem attrahendo Divinam, multò plus Principi nocent, quàm proſunt. Opes poſſideas, ait Seneca, *de vit. beat. cap.* 23. ſed nulli detractas, nec alieno ſanguine cruentas, ſine cujuſquam odio partas, ſine ſordidis quæſtibus; quorum tam honeſtus ſit exitus, quàm introitus, quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. Quæ regula, omnium quidem ordinum hominibus communis eſt; ſed ad eam maxumè reſpicere debent, qui fiſcum volunt locupletare. *Henric. Klock. de Vectigal. theſ.* 6.

5. In caſu verò poſteriori, non magis ſubditi ſunt gravandi, quàm pro neceſſitatis proportione: cùm talis debeat eſſe effectus, qualis eſt

cauſa.

causa. *vide tract.* Newmayers von Schatzungen.

6. Licitè, semperque Ærarium augeri potest; pœnis condignis, quæ Fœneratoribus, Blasphemis, (denen / so fluchen vnd schwören) Adulteris, Ebriosis, Calumniatoribus, temereque litigantibus, ac similis farinæ hominibus, imponuntur. Rectè autem bonorum Confiscationes, à Iustiniano primùm limitatæ, pòst consuetudine generali abolitæ sunt. *Ego de Ærario. cap.* 3. §. 4. *num.* 1. Nec etiam consultum esse videtur, ut Patrimonia Sagarum, seu Lamiarum, in Fiscum inferantur: quod tamen quibusdam in locis fieri solet. *Ego consil.* 95. *part.* 3.

7. Nulla igitur portio Regionis, haut alicui utilitati destinari debet. *Lather. de censu,* 3. *cap.* 5. Considerandumque esse Aristoteles ait, 2. *Oeconom.* quinam fructus, aut non proveniant, cum possint provenire: aut cùm exigui sunt, augmentum admittant. Et Lælius Zecchius, *de Princ.* 2. *cap.* 2. Cavendum esse, inquit, ut paludes exsiccentur, sylvæ inutiles ad culturam redigantur: & opem ferendo iis, qui hujusmodi rei operam dant, & aquas ducendo, quibus merces & fruges ad Civitates ducantur, & ex Regionibus externis comportentur, & agri irrigentur; & curare debet, ut ex alienis Regionibus comparentur arbores, & alia semina, ex quibus multùm lucri percipiatur: experiendo an propriæ Regioni, diligentia adhibita, aptari possunt; ut apes, bombices, aromata, vina, & similia: ut ita

ex agris, quantùm fieri possit, colligatur utilitatis. Sic maximè, ut puto, accommodum & utile esset: si subditi cogerentur, ut in fundis suis, pomos, piros, prunos, cerasos, persicos, aliasque sererent arbores frugiferas; idque in publicis etiam locis non negligeretur: ita ut nulla pars foret Regionis, quæ non arboribus, pro soli genio, opacaretur. Cavendum tamen, ne Sylvæ vastentur; potiùs in locis desertis, quercus, aliæque arbores plantentur, aut abietes, &c. seminentur. *vide* Noe Meurers Jagrecht / *part.* 1. Ac quoque metallicæ venæ indagentur. *Ego h.cap.* 3. §. 8.

8. Monopolia verò, ac mercimonia (Weinhändel / Wollenhändel / Saltzhändel) nomine publico, cautè; nec nisi ab antiquo ita fuerit observatum, instituì debent. Non solùm ne privatis inde resultans commoditas, & occasio se, suosque sustentandi, subtrahatur: sed &, quia in negotiationibus, major industria & sollicitudo requiri videtur; quàm quæ in Officiales publicè conductos cadat. Hincq; rectè Theodosius Imperator ad uxorem: Cùm me DEUS Imperatorem designarit, tu me mercatorem facere contendis? Scito autem, Mercaturam privatis hominibus esse concessam, ut eum tolerandæ vitæ modum habeant. Quod si nos, præter Imperii opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undé nam subditi, victum sibi comparabunt? *Zonar. annal tom.* 3.

9. Pecuniæ etiam publicæ accumulandæ ergò, Mons Pietatis erigi potest: Bornitius *tract.* *de*

de Nummis, cap. 8. *ad fin.* qui item in suo Ærario, 1. *cap.* 7. varias ejus recenset rationes. Hucque refero, quod quibusdam in locis, certam pecuniæ summam à privato accipit Fiscus, eique vel alimenta, vel certam pensionem, ad dies vitæ concedit; Pfründkauff vulgò vocant. Alicubi in Italia præsertim, cui filia nascitur, in Ærarium pietatis, pecuniam dotalem quam volet, hac lege inferre licet, ut ea mortua non repetere possit: sed cùm puella annum decimum octavum attigerit, decuplum maritus puellæ, dotis nomine, ab Ærarii Quæstoribus recipiat. *Bodin.* 6. *cap.* 2. *num.* 665.

10. Civitatis inopia, tempore necessitatis, remediis variis sublevatur: & quidem, vel à subditis extraordinariè aliquid exigitur (Collectam vulgò vocant, *de qua re Caspar. Klock. incomparabile opus conscripsit.*) vel qua alia ratione, pecunia comparatur.

11. Cum à subditis pecunia emulgetur: tàm ut subditi velint, quàm ut possint contribuere, efficiendum erit.

12. Lubenter in medium aliquid conferre Subditi solent: si (1) Statu contenti sint præsenti, Principemque, vel Imperantes alios ament. Nam sanè tunc in publico amore, divitiæ Reipublicæ sunt sitæ. Salutare Numen tuum precamur, ut in hac oblatione, quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur: in amorem tuum, studia nostra creverunt. Quæ sunt verba Sym-

machi, ad Theodosium *lib.* 10. *epist.* 26. Si [2.] publica necessitas adsit, *Novell.* 43. *cap.* 1. §. 1. *Molin. tom.* 3 *disput.* 667. (quæ hoc habere putatur, impossibilia ut persuadeat plerumque. *Symmach. epist.* 27. *d. lib.* 10.) nec ea, injuria ejus, qui Imperium obtinet summum, procurata fiet: putà, vel per prodigalitatem, vel Bella importunè concitata. *Tholos. lib.* 3. *de Rep. cap.* 4 *num.* 2.

13. Si item [3.] publicè ab Ordinibus fuerit adprobatum, à subditis ut subventio pecuniaria exigatur: quod si motu proprio faciat Princeps, Tyrannidis sese suspectum reddit. Nemo enim Principum est, ut Cominæus ait, *lib.* 5. *cap. ult.* qui jus habent, vel teruncium exigendi à suis, ultra constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur. vide, quæ ego hanc in rem congessi, *tract. de Ærar. cap.* 4. §. 5. Et locus hîc est iis, quæ habet Plaut. in *proleg.* Amphitruon. *Pater hûc me misit ad vos oratum meus: Tametsi pro Imperio, vobis quod dictum foret, scibat facturos.* Ac [4.] tandem, si pecunia eò conferatur, quò destinata fuit: neq; enim aliundè majori ferè odio, i, qui ad clavam Reipublicæ sedent, prægravantur, quàm si per luxum absumatur, quod cum angustia subditi præstant. Absit enim à Principibus ista sententia, ut quod de communi tributum est, in jure Fisci esse videatur. *Symmach.* 1. *epist.* 40. Collationesque ad publicos tantùm usus converti debere, Turcarum nos docent Imperatores: Qui ex hortis, aliisque reditibus, Aulam sustentant; indictiones verò

extra-

extraordinarias, *Haran agameni cani*, vocant; id est, prohibitum sudorem Subditorum: qui non insumitur, nisi ad belli necessarios usus. Breunning/ in der ersten Meerfahrt.

14. Opibus juvare Rempublicam subditi queunt; si Sumptuariis Legibus, modisque aliis, Privatorum Divitiæ conserventur (nulla quippè contributio, tàm magna esse videtur, ut non plus absumant Privatorum plerorumque inutiles sumptus) *Ego h.cap.*4. §.10. sique non ante necessitatis casum, Tributorum vinculis, quasi Prædonum manibus, Respublica fuerit strangulata: *ut alicubi loquitur Salvian. lib* 4. *de gubernat. Dei.* Si officialium concussiones, illicitæque exactiones inhibeantur. Quo respectu Henricus IV. Galliarum Rex olim dixit: *on faict payer double taille à mon peuple, l'une est à moy, & l'autre aux officiers. La seconde, rend la premiere insupportable.* Histoir. *de la mort. de Henri. IV. fol.m.* 60.

15. Non solùm autem per extraordinariam collationem, succurri Reipublicæ solet; sed & antiquum, usitatissimumque Ærarii augendi genus est, rebus, quæ evehuntur, impositum vectigal: *Petr. Gregor.* 3. *de Repub. cap.* 6. *Becht. disput. de securit. thes.* 56 *& seqq. Henric. Klock. disput. de Vectigal. singul. in disput. Basilens.* quod aliàs regulariter pro cura Viarum peti potest. Ac de variis Vectigalium, iisque affinium nominibus, ac generibus, disputat Molina *tom.* 3. *disput.* 662. *ac Petr. Frider. Mindan.* 2. *cap.* 42. *num.* 2. *&c.* Illud-

que augeri, vel de novo imponi, commodius quandoque est, quàm Collecta: cùm exteros simul gravet. *Arnisæ.2.polit.cap.5.fol.* 560. *& seq.* Ac collectæ, si bonis immobilibus imponantur, eorum pretium decrescat, & subditi, ab agrorum cultura deterreantur.

16. Vectigal autem, non à rebus necessariis; sed ab iis cumprimis exigi debet, quæ ad luxum, delitias, pompamque spectant, & mores corrumpunt: ac ita ditioribus præsertim, nocere queunt. Exportandis item magis, quàm importandis mercibus, imponi debet. *Ego de Ærar. cap.*4 §.14. *& seq.*

17. Vectigalis quoque rationem habet: Gabella, rebus, quæ vendi solent, imposita, Accisæ, Umbgeldt/ Abzug/ Nachstewr/ & si quæ alia similia, vel in usu sunt, vel excogitari possunt. *de quibus omnibus latè, tractod.*§.15.*ac seq.*

18. Collecta autem, non capitibus seu Personæ (quam ideò Capitationem vocant) sed cuivis ordinis hominibus (ni privilegium aliquod sit impedimento) & quidem pro singulorum facultatibus, imponi debet. *Bodin. d. cap.*2. *num.* 661. In hocque commendat Florus 1.*cap* 6. Servii censum, quòd cum patrimoniorum discrimina in tabulas retulerit, singulis certa imposuerit tributa: cùm antea æqualiter omnes conferrent. Sic & in *l.*3.*C.de ann.& tribut.indict.* vetatur, ultra rerum possessarum modum gravari. Collecta quoque, non solùm à bonis immobilibus exigi; sed & Mercaturæ, reditibus annuis,

omni-

omnibusq; rebus, ex quibus utilitas capi potest, imponi debet. *Bocer. de Collect. cap.* 10. *num.* 3. *&c.* Estque Collecta in Germania, vel Imperialis, Reichsstewr; in Comitiis decreta: vel provincialis, Landstewr; à Statibus, suis subditis injuncta.

19. Ubi quæri solet; An ea munus sit reale, vel mixtum: hoc est, ei impositum personæ, propter res: *Gail.* 2. *observat.* 52. *num.* 9. *& seq. Heigius part.* 1. *quæst.* 17. *num.* 28. *&c. Mynsinger.* 5. *observat.* 22. *num.* 4. *Grœve.* 2. *conclus.* 53. Quam posteriorem, qui approbant opinionem, concedere simul coguntur; forensem non posse collectari, propter bona, in Collectantis territorio sita: quod tamen consuetudine generali, sublatum quidam dicunt, & etiam de jure, plures limitationes habet. Vide *Cothman. consil.* 11. *vol.* 1. *& me, consil.* 28. *part.* 6.

20. Subditi Vasallorum, de Territorio Domini Feudalis qui sunt, collectari; rariùs verò ipsi Vasalli (propter servitia personalia quæ præstant) collationibus extraordinariis gravari debent. *Schrader part.* 10. *sect.* 5. *num.* 115. *Rosenthal. cap.* 5. *conclus.* 78.

21. Ad alios modos, quibus sine subsidio subditorum, Reipublicæ succurritur necessitati, referri possunt (*de quibus agit Aristot.* 2. *Oecom. & Johan. à Chokier. Thesaur. polit. aphoris.* 2. *cap.* 20.) pecunia mutuò sumpta, distractio pagorum, & redituum publicorum, venditio item jurium ac Privilegiorum. Vbi tamen cautio hæc

est adhibenda, ut semper Jus superioritatis reservetur, sicque Pagi, &c. non nisi Iure Feudi, pignoris, aut sub pacto retrovenditionis alienentur. Ut item, quæ publicè minùs utilia sunt, distrahantur, & commodum aliquod reservetur: puta, so man einem das Jagen verkaufft / gegen Haltung eines Pferds / &c.

22. Referri hûc potest, venditio officiorum: vel cùm Officiales cautionis loco, certam pecuniæ summam Principi mutuò dare coguntur. Commodum item, quod parit mutatio monetæ, quo tamen in casu, prudentiùs est agendum, quàm superioribus annis in Germania factum fuit; ubi tam Magnates, quam subditi, inæstimabili damno affecti fuere. *vide; quæ ego hisce de modis tractavi, de Ærar. cap.* 6. §. 3.

23. Ærario tandem qui præsint, Viri optimi sunt constituendi. 1. *polit.* 7. Dicti hi fuerunt apud Romanos Quæstores, eorumque origo fuit, penè ante omnes Magistratus. *l.* 2. §. 22. *de O. I. ubi Eberlin. l. unic. in princ. de offic. Quæst. Alex. ab Alexand.* 2. *Genial.* 2. *ibiq; Tiraquell.* Felix sanè est Rex, qui habet virum, reditus & expensas ordinare scientem. Exactores verò, exactionumque illicitarum architectones, nunquam audiendi, vel fovendi erunt. Boccalin. Arcigogolanti vocat, & eos passim sugillat. 2. *ragg.* 6. 57. 82.

CAP.

CAP. VIII.

DE CURA CORPORUM subditorum.

1. CURA circa corpora subjectorum, quæ est occupata, vel pertinet ad vivos, vel ad defunctos. Illa *alimenta*, & quæ ad sanitatem necessaria sunt, subministrat. Non enim subditos solùm habere; sed & ii, vivendi ut habeant facultatem, providendum est Imperanti omninò.

2. Hûcque spectat quæstuaria scientia; tàm naturalis, ex agricultura, plantatione arborum fructiferarum, pecuaria, &c. ut & artificialis: quò pertinent mechanicæ artes. 1.*polit. cap*.5. & 6. *ac* 7. *polit. cap*.8. Quorum omnium tractatio magis specialis, ad Oeconomiam pertinere videtur: ac etiam conferunt hûc, utiles simul & elegantes libelli Jacobi Bornitii *de rerum sufficient.* ac Hieron. Marstalleri *de Divitiis*.

3. Quamvis autem olim Judæi, *Cunæ.de Republ.Iuda*.1.*cap*.4. ut & Romani, duo solùm studia, ingenuis reliquerunt hominibus; Agriculturam scilicet, & bellicam artem. *Dionys. Halicarnass.lib*.2. Et Varro *lib.2.de re rustic.* scribit: illustrissimum quemque antiquorum, fuisse pastorem; & à plurimo pecore, plerosque laudatos fuisse. Inprimis tamen, pro horum temporum conditione, Artificia, ac quoque Mercatura, fo-

venda, excolenda, certisque regulis erunt adstringenda.

4. Vsuras, non Jus solùm Divinum & Canonicum tollit: sed & id consonum est æquitati naturali, & Philosophorum Gentilium traditioni. *Emund. Merillius* 1. *obſervat. cap.* 13. Jacob. *Curt. tom.* 1. *conjectur. lib.* 3. *cap.* 29. Quamvis autem quibusdam in locis, propter commercia, tolerentur: *Zypæus in ſum.* Jur. *Can. tit. de uſur.* attamen usuras haut legitimas exigentes, Küpper / Wipper / Schacherer / similisq; si qui sunt sortis, Prædonibus rectè æquiparantur. Vtile autem forsan foret, constituere Montes Pietatis, gemeine Wechsel / etc. quibus mediantibus pecunia securè collocari, ac etiam subitis Civium necessitatibus, succurri possit. *ut & monui jam suprà.*

5. Reditibus autem annuis, mit angelegten Gülden / se suamque familiam alere, homini Christiano haut illicitum videtur: quamvis ea de re, dubitaverunt olim viri pii. *Tauler. in* 2. *ſermon. Magiſtri, ad populum: qui habetur in ejuſdem vita, fol.* 35. Ne tamen populus desereret agrorum culturam, olim sub Tiberio Senatus præscripsit, ut duas quisque fœnoris partes, in agris per Italiam conlocaret.

6. Alimentorum quoque pretium, cùm per Monopolia (durch die Vorkäuffer) augescat; inde ea non sunt permittenda: Reichs Abschied *de Anno* 48. *tit.* vom Vorkauff der Früchte. *Lehman. fol.* 159. Magisque utile reputatur, ut præsertim necessaria esculenta: ii solùm vendant,

dant, quorum opera ejusmodi terræ fructus producti fuerunt. Aliam tamen esse rationem Vini, putant nonnulli. Ac certè Polonia, vel hac solùm ratione, annonæ impedit caritatem, quod Monopolia non tolerantur. Frequenter quoque, Famem & caritatem, non ex defectu, sed magis ex mala distributione ortas fuisse, refert Scip. Amirat. *lib.* 12 *disc.* 3. *De fame autem praevenienda, latè ego egi in vita & mortis considerat. cap.* 2.

7. Verùm ut sustentationis habenda est ratio universim; ita & singulis, suus ut dimensus sit labor, curandum est: sicque otiosi inquiri, ne ferri debent. Plerunq; enim sunt injusti, variorumque delictorum (lenocinii nempè, adulteriorum, furtorum, corruptionis liberorum, ac servorum, &c.) vel perpetratores, vel ea perpetrantium receptatores. *Camerar. cent.* 1. *medit. histor. cap.* 15. Validi item mendicantes, ad labores sunt adigendi. Hacque in re, laude dignissima est Chinensium politia: ubi laborare etiam cœci, ac membris manci coguntur, estque nihilominus alendis iis, qui victum sibi parare nequeunt, certus constitutus modus. *Heig. part.* 2. *quæst.* 27. *num.* 13. Operæ pretium pariter est, ut certi inspectores constituantur, qui dispiciant, num prædia, agri, vineæ, horti, &c. probè, & non segniter colantur? quod & Numa, Romanorum Rex, prudentissimus fecit. *Dionys. Halicarnass. lib.* 2. Decoctores itidem, non sunt tolerandi; sed citò, ad prudentiorem œconomiam

adhortandi, aut iis administratio bonorum adimenda: qua de re ICti agunt.

8. *Valetudinis* porrò publicæ, suscipiendæ est cura Imperanti: sicque Medicis & Medicinæ, leges dat, ac ne morbi Epidemici ingruant; vel latiùs serpant, procurat. Quamvis autem olim, & etiam hodie quidam (inprimis Montaigne, 2. *des Essais, cap.* 37.) non ita præclarè senserint de Medica facultate: habitaque fuerit frugalitas, loco optimæ medicinæ. Unde Pyrrhiniculus Vasco, peregrè iter faciens, cùm ad meritoriam tabernam venisset, & adposita esset cœna, omni ex parte olitoria, cum vino dilutissimo, omniaq; quàm parce administrarentur: finita cœna, jussit ad se vocari Medicum, ad mercedem capiendam. Igitur Caupo, cùm respondisset: Ecquid malum, in viculo maxumè agresti, Medicum requiris? Ibi ille, Num, ô bone, teipsum ignoras? Quò sit igitur merces operæ tuæ par, Medici pretium accipe, non cauponis. *Lycosth. in apophtheg. tit. de abstinent.*

9. Sed tamen pro horum temporum conditione, cum Medicis vix carere queamus; omninò est prospiciendum, ut Medici, Chirurgi, Obstetrices, &c. cognitione & experientia sufficienter sint instructi; utque Magi, & illicitarum curationum artifices, Empirici, Circumforanei, Veterinarii, &c. extirpentur. Ac etiam, ne Paracelsistæ & Chymici, nimium increscant; veteremq; Græcorum & Arabum, tutam ac diu probatam prorsus extinguant Medicinam: experientia enim constat,

constat, rarò fieri senes; qui Chymicis medicamentis, frequentiùs utuntur. *Qua de re, latè ego egi, in tract de vita, & morbis consid. cap. 1 lib. 2. & in Thesaur. pract. verbi.* Artzney. *Et addi debet Medicus Politicus, Roder. à Castrot.*

10. Ad politicam morborum contagiosorum præservationem, & curam, refero; si mundities in plateis; & domibus procuretur. *l. 1. §. 1. ff. de Cloac. l. fin. §. si stercus. ff. quod vi aut clam. Capoll. de servitut. rustic. cap. 43. & de servit. urban. cap. 78. in f. Camill. Borell. de Magistrat. 3. cap. 12. per discurs. Papon. 6. t. 1. arrest 8. &c. David Herlicius, in consil.* **Was ein Stadt zu besorgender Pest/in den Gassen vnd Strassen/ auch in offentlich: vnd privat Heusern/ vornehmen solle.** Si quantum salva Christiana charitate fieri potest, tali morbo laborantes, ab aliis separentur, atque vitentur. Si accessus ex locis contagiosis prohibeatur; si denique fuga iis, qui meticulosi sunt, nec officii ratione prohibentur, permittatur: ea enim ratione, Civitas hominibus exoneratur, quorum multitudo contagium augere solet.

11. Nec denique negligenda est cura mortuorum; sed ut Cives honestè *sepeliantur*, curari debet. *Dalner. de jure hominis, 1. part. 14.* Ac adeò, in jure nostro favorabilis est sepultura; ut si quis in Testamento, sub ea conditione quem instituat hæredem, si reliquias ejus abjecerit in mare; haud ea debeat impleri. *l. 27. de condit. instit. Freher. 1. parerg. cap. 27.* Ac sunt quoque hono-

honorificè sepeliendi hostes: *Camer. 2. medit. 64. ac centur 3. cap. ult.* & quandoque etiam supplicio affectis, ea humanitas non est deneganda, *Speckhan. 1. quæst. 9. Berlich. tom. 5. conclus. 48. Kornman. de miracul. mortuor. part. 9. cap. 34. Papon. lib. 20. tit. 8. arrest. 4. Pfeil. consil. 154.* Non verò, qui violentas sibi manus intulerunt, communem cum aliis sepulturæ locum habere debent. *Delrio, disquisit. Magic. lib. 5. sect. 19. Montaig. 2. des essais, cap. 3. Kornman de miracul. mort. part. 7. num. 76. Decius consil. 438.* Nisi vi morbi, aut ex delirio hoc fuerit factum. Non tamen citò mortui sunt sepeliendi. *Levin. Lemnius 2. de occult. natur. mirac. cap. 3. Kornman. de mirac. mortuor part. 2. cap. 16.* Hujusque moniti neglectio effecit, ut nonnulli semel sepulti, bis mortui fuere. *Majol. tom. Canicular. fol. m. 74.*

12. Locus mortuorum tumulandorum, num in, vel extra Vrbem debeant esse? disputari solet. Hîc medicæ, illîc Theologicæ rationes proferuntur. Et sanè consultiùs esse puto; ut aspectus Cœmiteriorum juxta Templa, aliaque sacra loca existat; ac etiam cadavera eruta, in propatulo ut conserventur; & ita omnes jugiter admoneant mortis, faciantq; novissima illa considerare. *vide Baron. A. C. 226. n. 3. & 4. A. C. 242. num. 2.* Exindeq; adparet, quid sentiendum sit de Sectariis nostri temporis: qui passim prisca Cœmiteria prophanant, inibi ædificant, fodiunt, & cadavera projiciunt inventa.

3. Sumptus deniq; funebres sunt moderandi

(dann

(dann es in etlichen Orten auch thewer zu sterben ist) ac quoque luxus Epitaphiorum. Quamvis barbarum videatur, & Turcicum magis, quàm Christianum, omnem talem defunctorum memoriam impedire.

CAP. IX.

DE ARCANIS, ET SImulachris Rerumpublicarum.

1. NON solùm autem subditi, mediis, de quibus hactenus est actum, ad politicam ducendi sunt felicitatem; verùm & ipsa Imperii Majestas, Status item & forma Reipublicæ, singularibus quibusdam rationibus, subindè conservantur; quæ *Arcana* Reipublicæ, vel Imperii secreta (Italis *Ragion del Stato*, Ratio Status vulgò) vocitantur, Aristot. 5. *polit. cap.* 8. τὰ πολιτειῶν σοφίσματα, alibi κρύφια, adpellat. *Clapmar.* 1. *cap.* 4.

2. Arcana autem propterea dicuntur: quia plerunque latent, vel latere debent (illa præsertim, quæ spectant ad quamlibet Rempublicam singulatim) ac ea ut subditis non innotescant, plerumque Principes studiosè curare solent: cognita enim vilescunt, parumque juvant, vel etiam odio prægravant Imperantes. *Boccalin.* 1. *rag.* 86. & 89. *cent item* 2. *ragg.* 71.

3. Eaque definio, cum Clapmario *lib.* 1. *de Arcan.*

can. Rerumpubl. cap. 5. intimas & occultas rationes, sive consilia eorum, qui in Republica obtinent principatum: cùm ipsorum tranquillitatis, tùm præsentis Reipublicæ status conservandi, & ita boni publici causa. Sunt namque ea, abstrusæ artes, per quas ab Imperii jure, ipsaque dominatione, homines seditiosi prohibentur. *Clapmar.* 1. *cap.* 9. Aut callida quædam commenta, sive rationes, ad avertendum eos, qui intentioni politicæ adversantur, inducta. *Gryphiandr. velit. de Arcan. polit. thes.* 1. Differunt autem illa Arcana, ab Imperii juribus: quæ utpote sunt aperta, quibusque minùs quàm arcanis, Respublica carere potest. Et subtiliter porrò Clapmar. 1. *cap.* 8. *& seqq.* distinguit, inter *Arcana Reipublicæ,* (quæ nempè spectant, ad præsentem Reipublicæ formam conservandam) *& Arcana dominationis* (pertinentia ad securitatem eorum, qui Principem locum obtinent, in civitate) quod & innuit Gryphiand. *d. loc. thes.* 46. Hæcque si Legi divinæ, & naturæ repugnent, Flagitia Dominationis vocantur: Clapmar. 1. *cap.* 8. Qui idem *lib.* 4. *cap.* 3. Jura dominationis, ab Imperii juribus, arcanisque dominationis, sejungit.

4. Arcana autem Imperii, & dominationis, Ratio Status, propterea indigitari solent: quia non pertinent immediatè ad subditorum commoditatem, vel salutem, sed eo solùm fine usurpantur, ut Princeps maneat Princeps, ut Senatus non amittat authoritatem, ac ne populus destituatur libertate: & ita nil depereat de cujus-

jušlibet Reipublicæ primigenia forma.

5. Sanè autem ejusmodi Arcanæ rationes,ut interdùm non sunt negligendæ: ita earum haut prima ratio haberi debet (ut Machiavellistæ, & Aulico-Politici volunt) cùm nullum majus utiliusque arcanum sit; quàm justè imperare, & non offendere DEUM.

6. Sic & Reputationem, quæ plerunque scopus est horum Arcanorum (cùm è contrà, Imperantium contemptus, seditiosis animum addat: ac is etiam plus nonnunquam officiat, quàm vis atque arma. *Boccalin.2.ragg.*15.*Pipsre* 177.) maximè Imperantibus conciliant, Virtutes moderatrices: Pietas, Justitia, Prudentia, constans Imperii forma, Consiliarii fideles, &c. *Dn.Christoph.Forstner.hypomnes.polit.*15. Idque negare non possunt ii,qui credunt,DEUM haut raro contemptu vindicare, quod Magnates ejus præcepta nō curant.*Iob.*12.*vers.*21.1*Reg.*16.

7. Sic pariter tutissimum Imperii munimentum est amor subditorum: quem procurat non solùm universorum,sed & singulorum cura.

8. Ad quod attinet Imperii Monarchici specialia Arcana; minùs iis indiget Imperium successivum: propter authoritatem, quam habet, qui in purpura est natus. Si præsertim ejusdem Majores, de Patria benemeriti fuerunt. *Icon. Anmor.Barclaj.cap.*13. *Ego in prodrom.tract. de success.& elect.fol.*15. Vicissim verò,infinita sunt Arcana Regni novi. *Amirato* 1.*discurs.*8.*& lib.* 20.*discurs.* 7. & quæ non raro ad crudelitatem acce-

accedunt. Unde apud Virgil. 1. *Æneid.* Dido:

Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri.

Ac ita, si vetus Reipublicæ forma non mutetur; vim tamen Imperii sibi securam reddere debet Princeps.

9. In Imperio verò Electivo; Rex æquè ac Ordines, secreta peculiaria habent. Ille, ut in successoribus perduret Regnum, aut ipso adhuc vivo is, quem amat, eligatur. Hucque pertinet, quod Curtius *lib.* 10. inquit: Sine certo Regis hærede, Regni publicas vires, ad se quemque tracturum. E contrà, Ordines cavere solent, ne vivente Rege, electio præoccupetur, vel in una Domo, diutiùs Imperium continuetur: *c. venerabilem,* 34. *vers. nam. si prout olim, extr. de Elect.* utque paulatim arctior imperandi formula, noviter electo præscribatur.

10. Aliis item rationibus, Monarcha authoritatem suam tuetur contra plebem: Nobiles putà præ aliis fovendo. Aliis, contra Patricios, aliosque optimates; contra eosdem nempè plebejos tuendo, & statum Ecclesiasticum exaltando, &c. de quibus Clapmar. 2, *cap.* 15. *&c.* ac Amirato *lib.* 13. *disc.* 8.

11. Certi item sunt modi, quibus efficit Princeps, ne unus nimiùm crescat, ipsique terribilis fiat: quod accidit, si in talem nimia & perpetua potestas non conferatur. Quæ cuncta ex Tacito, optimè disci queunt. Hic autem illa maxuma, locum habet; Quod in negotiis status,

quic-

quicquid fieri poteſt, illud metuendum ſit, ne fiat. Et omnis, utcunq; ſimulet probitatem, aut ſuo Domino ſit fidelis: aut fuit, aut eſt, aut poteſt eſſe malus. Ideò Ferdinandus Arragonius, Conſalvum, magnum Capitaneum dictum, depreſſit. *Sepulveda com. ad Ariſt. polit.* 3. *c.* 9. *n.* 12. Et quandoque ſub ſpecie honoris, æmuli removentur. *Gruter. diſcurſ. part.* 2. *fol.* 124. *&* 132.

12. Monarchæ etiam, cupidi dominationis, non amant crebriores ordinum Conventus; eosque cupiunt ex vilioribus, ſibique devinctis; nec ex iis, qui divitiis, prudentia & auctoritate pollent, conſtare.

13. Pariliter in Ariſtocratia, Optimates tuetur contra plebem, ſi Cives ab injuria defendantur: non tamen tenuioribus ullum Imperium, ſed munia ſolùm nonnulla, abſque Poteſtate, dentur. *Dn. Kontzen.* 1. *polit. cap.* 17. *num.* 4. *& ſeqq.* Hocq; vocat Boccalini, 1. *ragg.* 67. *tenere i popoli baſſi.* Inibi quoque, ſi inter Optimates concordia, & æqualitas ſit, haud facile unus emergit. Concors namque dominatio paucorum, haud facilè ex ſe perit. *lib* 5. *polit. cap.* 6. Quod item, ne fiat, Peregrinis, quàm Civibus, quandoque tutiùs magni exercitus committuntur. Quæ non uno in loco, Trajanus Boccalini, Venetorum exemplo illuſtrat.

14. Statum popularem conſervat; nemini nimiam, aut longiorem poteſtatem concedere: nec permittere, ut potentia paucorum, in perniciem univerſorum creſcat. *Paruta.* 1. *diſcurſ.* 1. *fol.*

fol.m. 11. Quæ dum neglexere Romani, Iul. Cæsaris ferre potestatem coacti fuerunt. *vide Cernemanni tract. cui tit. Labores Iulii Cæsaris, ac tract. Iohan. Meursii de Pisistrato.* Et ex Taciti monito, cavendum semper est populo ab iis, qui falsò libertatis vocabulum obtendentes, privatim degeneres, in publicum sunt exitiosi, &c. Quorum intuitu, Ostracismus Athenis, alibi Petalismus, usurpatus fuit olim. 3.*polit.*13.

15. Sed inprimis populus, non tantùm contra unum, ac patricios: sed & contra ipsam plebem est defendendus. Quod fit, per æqualitatem, ac si cuilibet Ordini, sua dignitas servetur. Et ita olim Romæ, contra plebem defenderunt libertatem Optimates, & Senatorum optimi quique. Unde Cicero *pro Sest.* Qui ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur. Sicque ab Optimatum partibus stantes, magis tueri videntur libertatem, quàm plebis parteis tenentes. Sulla, Optimatibus, qui accensebatur, multa impotenter egit; sed Rempublicam non extinxit: Cæsar (cui multos Marios inesse, acri judicio citò conjiciebat Sulla; *Sueton. Cæsar.* 1.) clementia subdolè usus, libertatem, & Rempubl. evertit. Hincque omnium judicio, certissimum Democratiarum malum est, libertas immoderata, ac licentia Concionum: quo morbo periit vetus Græcia olim; & nuper etiam id nocuit Rhetiæ Alpestri. Ac utile tandem est, si populus suam nesciat Majestatem, & rarò absoluta potestate utatur, sed sibi vinculis legum,

legum, manus liget. *Ego in Oeconom. t.* 3. *&* 4. *lib.* 1. *ff. quaest.* 7. *ad fin.*

16. In mixto verò ſtatu, arcanum eſt; Ordines habere Potentes, eorumque Deputatos, eſſe Reipublicæ gnaros, & ejuſdem amantes: adulationem item, ac timiditatẽ, procul habere, &c. Quo intuitu veteres Franci & Germani, Ordinibus ſeu Statibus, ſemper Eccleſiaſticos quoque adſcripſerunt: quaſi Principibus non ita arctè obſtrictos: & qui etiam, propter orbitatem, minùs timidi ſunt in votis proferendis.

17. Nunquam autem fœdæ & barbaricæ rationes, atque ſcelera Dominationis conſervandæ, augendæque, loco Arcanorum uſurpari debent. Qualia ſunt apud Turcas, Parricidia fratrum, &c. Differuntq; flagitia, ab Arcanis; quod Impii Politici, mala quandoq; peſſima faciunt, ut inde eveniant bona: quod eſt contra S. Pauli præceptum. In Arcanis verò, ex duobus malis, eligitur id, quod apparet minùs malum. At ſanè qui flagitia Dominationis probant, aut Deum non credunt res curare humanas, aut Principes ſupra homines eſſe credunt: *contrà ac vult Pſal.* 82. *Sapient.* 6. *Baruch.* 3. Sed eò jam progreſſi ſumus, ut multi talia flagitia neceſſaria eſſe dicant: quæque ſint uſurpanda, aut non imperandum. Limites ergò hujus artis ſunt ponendi; Religio, fides, pudor, quos egredi non licet. In quo à nobis abit Machiavellus, qui pro ſalute Principis, nec eos quidem obſervandos docet. Vitam, inquit, Princeps tueatur, curetque Imperium

rium conservare: quibus autem id fiat rationibus, nihil interest, modò aliquam honesti speciem præ se ferant. Nec multùm laboret, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus Dominatum non facilè tueri possit. Planè ut Neroni Tigellinus suggessit, non se ut alios, diversas spes, sed solùm incolumitatem Principis spectare: cui caveri utcunque ab insidiis ex usu sit, etiam per scelera. Machiavello compar fuit Achitophel, cujus consilia ita erant, ac si quis divinum consuleret Oraculum: cujus tamen prudentiam callidior aliquis elusit.

18. Occurrunt quoq; subindè, Imperii *Simulachra*: quæ plebi & Optimatibus etiam quandoque ac in genere iis indulgentur; qui extra Rempublicam sunt, & coram quibus aliud agitur, aliud simulatur: *Clapmar. 6. cap. 1. Gryphian. disputat. de Arcanis, thes.* 110. Et Arcana penes Principem sunt: Simulachra penes subditos. Sed & ea, respectu Principis sunt arcana: Subditi putant, se habere veritatem, cùm tantùm habeant Idolon, seu simulachrum. Porrò qui ipsum Imperium habent, haud adeò magni faciunt hæc, quæ speciosa tantùm sunt, & umbratica; contrà qui re ipsa carent, videri malunt, quam & non esse, & non videri. *Clapmar. 4. c. 1.* Hinc Tacitus, apud Romanos, inquit, jus Imperii valet, inania transmittuntur. Hincque Arnisæus *lib. 2. de Majest: cap. 4. num.* 12. monet, ne quis fucatis, vel Julii Cæsaris, vel Tiberii sophismatibus moveatur, quando videt, hunc Imperium

rium quasi de manu populi recipere, ad Senatum pleraq; referre, ab eoque admonitum, consilium mutare, Tribunum plebis se facere. Omniaque (sicut & Mecœnas suaserat Augusto) ad formam pristinæ Reipublicæ agere. Julium verò Cæsarem, comitia cum populo partitum fuisse, ut exceptis Consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro parte altera, quos ipse dedisset. Nam licet reliqui præter Consules, Magistratus, in speciem quidem à plebe, & populo, secundum instituta majorum deligerentur, recusante Cæsare id muneris, ut ipse eos constitueret: attamen revera per ipsum creabantur, ac sine sorte in Provincias ibant. *Dionys. lib.* 43. Hocque intuitu veteres Imperatores Romani, liberæ Reipublicæ faciem, non statim omni ex parte immutarunt: ut nempè Populus putaret, se adhûc habere libertatem, & Imperium; quibus revera carebat. *Ego discurs. de Monarch. cap* 2. *& dissert. de arcanis cap. ult.*

M PARS

PARS SECUNDA
LIBRI II.

DE CONSERVATIONE, ET administratione, respectu exterorum.

1. QUemadmodum corpus humanum si quis curare velit, non solùm causas, quæ ab intrà labefactant; sed & pariter eas, quæ ab extrà oppugnant illud idem, noscere; & quomodo eæ declinandæ sint, cognoscere debet: ita pariter qui politico corpori præest, de ejusve conservatione agit; non solùm ab interna, sed *externa labe*, sartam tectamque Rempublicam ut conservet, aut quomodo illud fiat, ut consideret, necesse habet.

2. Hîc autem, cùm de Vicinis, tum per quos cum illis agendum sit, dispiciendum videtur.

3. Vicini aut non hostes, aut verò hostes sunt. Non hostes; vel Fœderati, vel Neutrales.

CAP. X.

DE VICINIS IN GENERE, ut & de prærogativa Sessionis.

1. AT quod attinet *Vicinos*, Consiliarius, ac Senator, perspectum cognitumq; habere debet; quos vicinos, aut socios habeat Respublica, quos Amicos, Stipendiarios: qua quisque sit Lege, conditione, fœdere, &c. *Cic.* 3 *de Legib.* Et est Magnatibus, prudentia qui prævalent semper in usu, ut vicinorum (hostium præsertim, ac suspectorum) nihil eos latere possit. Quo respectu, Ferdinandus Davalus Piscarius dicere solebat: nullum sumptum magis utiliter impendi, quàm qui insumitur in exploratores. *Iovius in ejus vita.*

2. Exinde dijudicari inprimis debet; num è re nostræ Reipublicæ sit, curare, ut Pax inter vicinos colatur: an verò bellum inter illos, ut vel gliscat, vel apertè geratur?

3. Estq; Politicum axioma, usu gentium plurimarum comprobatum: Haud optandum (imò etiam impediendum) esse, ut vicini nostri, nimis fiant potentes. Ferè enim, qui alium opprimere, suoque Imperio subjicere potest, id non omittit; vanisque prætextibus, ac impiis ac mercenariis eorum assertoribus, vix caret. *Scip. Amirat.* 20. *discurs.* 10, *Richter. axiom. histor.* 75.

4. Hincque ut plurimum, tùm demùm pax inter Vicinos procuratur, si potentia sint æquales: aut bellum in vicinia gestum, incommodum adferat vicinis. Quorum verò potentia aliis minitatur servitutem, iis bellum, hostesque conciliantur; subditi ab rebellionem incitantur, largitionibus eorum Consiliarii currumpuntur, crescensque magnitudo, quacunq; ratione fieri potest, præpeditur. Ac hisce, similibus mediis aliis vanitas humana, sub prudentiæ nomine ac larva, satagit illudere DEO; cujus providentia cuncta gubernat. Sicque Lactantius *lib.* 6. *Divinar. Instit. cap.* 6. Sublata hominum concordia, virtus nulla est omninò. Quæ sunt enim Patriæ commoda, nisi alterius civitatis, aut gentis incommoda? id est, fines propugnare, aliis violenter ereptos; augere Imperium, vectigalia facere meliora. Quæ omnia, non utiq; Virtutes, sed Virtutum sunt eversiones. Inprimis enim tollitur humanæ societatis conjunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur denique ipsa Justitia; quæ dissidium generis humani ferre non potest: & ubicunque arma fulserint, hinc eam fugari, & exterminari, necesse est.

5. Et ita Catholicus Rex, hostes clancularios multos habet, quos etiam non offendit. Hoc Belgicum Bellum fovit, multoque difficiliorem reddit hactenùs, & adhuc dum reddit, Unitarum Belgii provinciarum oppugnationem eidem: ferè enim totus Mundus, in Belgio, & per Belgas, oppugnat Hispanum. Et hoc item in

causa

causa est, ut quò ad Religionem concordes, hanc ob eandem Status rationem, juvent, foveantque dissentientes; quos alias opprimunt, oppressosque optant. Et sic Galli, Turcæ auxilium contra Carolum V. Imperatorem implorarunt: ut in historia Turcica retuli, non uno loco. Idemque ex hac, nescio, qua Status ratione, foverunt Suecum; cum incredibili Catholicæ Religionis jactura, quam etiam (nisi DEUS miraculosè impedivisset) eandem in Germania is planè extinxisset.

6. Monent politici & illud: jure non permitti, ut vicinus etiam in suo territorio, muniat aliquem locum; nobis ita vicinum, ut magis nostram offensionem, quàm ejus territorii, in quo situs est, spectet defensionem. Taleque reputatur à nonnullis, propugnaculum Venetum, Palmæ nomine insignitum; imminens Provinciis Celsissimæ Austriacæ Domus. Et indè plerunque, cautionis majoris ergò, pactis præcaveri solet, ne utrinque in finibus, intra spacium præfinitum, Arces & munitiones excitentur. Hucque pertinent lites, Reipublicæ Coloniensis, cum Principibus vicinis, ratione Müilhemensis vici: & Reipublicæ Spirensis, cum Episcopo, propter Eidenhemum, munitionibus novis firmatum.

7. Pertinet porrò ad considerationem Vicinorum, Rerumpublicarum inter ipsas Dignitatis prærogativa, seu præeminentia *Sessionis*: quæ majoritatem, non superioritatem inducit. *s. n*

extr. de majorit. & obedient. Ego tract. de Apellat. cap. 4. num. 4. Pariter ut Electorem, alius Princeps, Plebejus Nobilem, absque onere subjectionis veneratur, primasque ei concedit lubens.

8. Ita licet Imperium Romani Imperatoris haud agnoscere velint Reges alii absoluti: eidem tamen præeminentiam Sessionis, meritò, lubentesque concedunt omnes reliqui Orbis Christiani Monarchæ. *cap. 2. à princ. de re judic. in 6. Guetta consil. 1. num. 9. &c. Arnisæ. 1. de Majest. cap. 2. num. ult.* Sicque Cassiodorus *lib. 1. var. epist.* 1. Imperium Romanum, Regnorum omnium pulcherrimum vocat decus. Et Alphonsus, Arragoniæ & Neapoleos Rex, Fridericum III. Imp. cùm aliquando Neapolim venisset, nullo non honoris titulo est prosequutus. Et cùm ab Aulicis, eo nomine reprehenderetur, respondit: Vestrum non est de Regibus judicare; nos Reges omnes, debemus reverentiam Imperatori, tamquam summo Regi; ille est caput & Dux Regum. *Parnormit. in apobtheg. Alphons.* Quin & in Aula Magni Turcarum Regis, Legati Imperiales, Persicis, aliorùmque Saracenorum Ambasciatoribus, præferuntur. *Dn. Lans. in orat pro German.* Falluntque Galli, qui Regem suum, in eadem Aula prærogativam obtinere, assertant. Etenim haut inibi unquam Gallici Legati, præcedentiam contra Imperatoris Romani Legatos affectarunt; sed ejusdem ablegatis, quasi non ut ab Imperatore, sed ab eo, in qualitate Hungariæ Regis, missi essent, sessionis controversiam moverunt.

9. Sic

9. Sic & Rex Romanus, vivente Imperatore, ob spem successionis proximam, & radicatam; reliquos Reges & Monarchas, hacce dignitatis prærogativa, jure vincere videtur. *Guetta consil.* 1. *Goldast. in Senio lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. Et adhuc minus obstat, sessionis ratione, si Imperator nondum à Pontifice Maximo sit confirmatus. *Dn. Herwart. pro Ludovico IV. fol.* 121. *& seqq. multis.* Licet Gallus, eo nomine cedere noluerit Imperatori. *Guetta. consil.* 1. *num.* 15. *&c.*

10. Ac sunt porrò obviæ passim, de Sessione disceptationes: ac celebris inprimis est Galli & Angli, cum Hispano. Illi autem, inciviliter aliquantum, Hispaniæ universæ, aliarumque potentissimarum Provinciarum, in utroque Orbe Monarcham, eo jure censent, ut tùm fuit, cùm Castiliæ angustiis includeretur. *vide Iacob. Valdes. tract. hac de quæst. singul. Ferdin. Vasqui. in præfat. illustr. quæst.* Et planè absurdum videtur, quod Anglus, qui Gallo cedit; Hispano sessionis litem movet. *Perr. Matthieu hist. de Fr. lib.* 7. *narrat.* 1. § 12. *Goldast. in Senior. lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 8.

11. Nota etiam est hac de re, quæ fuit olim Florentino lis cum Ferrariæ Duce. *Dec. consil.* 19. *vol.* 3. *Cavalcan. decis.* 20. *num.* 26. Genuensium atque Venetorum: *Pedro Mexia. lib.* 2. *cap.* 22. *ad fin.* Fuldensis Abbatis, & Archiepiscopi Moguntini, atque Coloniensis. *Cranz. Saxon. lib.* 6. *cap.* 46. *Crus. par.* 2. *Annal. lib.* 11. *cap.* 14. Et viguit, vigetque adhuc controversia Sessionis, haud solùm inter Principes & Respublicas extra Im-

perium Romanum, sed & inter ipsos Imperii status: ejusque decisio, ad solum Imperatorem spectat. Sic & Electoribus, aliisque Principibus Germanis, Burgundiæ quondam Dux, ratione potentiæ: *Lehman. lib ult. c. 5 12. fol. 973.* & nunc Belgici status, ob omnimodam quam usurpant libertatem, satagunt præferri. Quodque Nobiles præferendi sint Imperialibus civitatibus evincere conatur Nolden. *tract. de Nobil. statu.* Ac sanè, Romano-Germanici Imperii membra, adeò sibi invicem de sessione litem movere; ut singulis fere Comitiis, novarum disputationum, & litum clamoribus, atria ac subsellia personent, idque non immeritò, aliarum gentium reprehensionem mereri, Bernhar. Zieritz notat, *de Principum prærogativa, qui nunc est in tom. 3. Arumæi: & addatur Bertram. disput. de Comitiis, thes. 6. & seq. apud eund. Arumæ. vol. 1. jur. publ.*

12. Ordo autem Regum, Principumque Christianorum (si nos non fallit Mercurius Gallicus *tom.* 10 *fol.* 334.) Anno Domini 504. sub Pontifice Julio II. talis erat: Imperator Cæsar, Rex Romanorum, Franciæ, Hispaniæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Angliæ, (discors cum tribus prædictis) Siciliæ (discors cum Rege Portugalliæ) Scotiæ, Ungariæ, Navarræ (qui tres inter se sunt discordes) Cypri, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ: Dux Britanniæ, Burgundiæ; Bavariæ Comes Palatinus, Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, Dux Austriæ, Sabaudiæ, Mediolani, Venetiarum, Bavariæ, Lotharingiæ, Bertoniæ, Aurelianensis, Januæ, Ferrariæ.

13. Jus

13. Jus autem præcedentiæ, vel ex usu atque consuetudine; & pariter ex potentia, dignitate, aliisque consimilibus circumstantiis, æstimari solet. Removetur verò hîc patientia familiaris. Remediique provisionalis loco, alternatio (die Abwechßlung) adhibetur: & qui possessionem juris hujus tueri nequit, vel in abstemiorum castra secedit, vel saltem protestatione munit jus suum. *Ego d. praced. & sessionis prarogativ. cap. 3.*

CAP. XI.

DE FOEDERIBUS, ET Neutralitate.

1. GENERATIM huc usque, de vicinis actum fuit; nunc eos ut Fœderatos considerare lubet. Cùm enim quælibet Respublica, vel æmulos habeat, vel inimicos; ac utcunque potens sit, omnibus hisce simul, temporeque omni, resistere non queat: Fœderatis ideoque carere, vix ullum Imperium potest; pariter ut injucunda est vita privata, amicorum subsidio destituta. *Gaspar. Facius Polit. Livian. part. 1. artic. 23. Feschius dissert. d. Fœder. thes. 1 lit. h. tom. 5. disp. Basileens. Pippre cap. 182. Bodin. 6. de Repub. cap. 4. ad fin.*

immediatè ad Principem ſpectet, & vix abſque injuria ejuſdem, ut id fiat ab alio, expeti queat. *Gail. 2. obſervat. 54. num. 4. Ziegler. in addit. ad Calvol prax. §. Landſaſſij, num. 85. Ego de Appell. cap. 4. num. 5.*

5. Sed tamen Fœderum hocce Jus, ex antiquiſſimo privilegio libertatis, etiam ſibi arrogant Imperii Romani Status: modò Imperator, Imperiumque ſemper excipiatur; & cautè cum exteris (ſua plerunque magis commoda, quàm aliorum libertatem expetentibus) ineatur. Et ſpectat etiam cognitio ad Imperat. fœdus ejuſmodi, num ſit ſuſpectum: *Carolus IV. A. B. t. 15. Frideric. III. in Reformat. de Anno* 1441. *artic.* 12. Reichs Abſchied zu Wormbs/ *de Anno* 1495. *tit.* Von Handlung deß Friedens/ *Cunrad. Brunus 3. de Legat. cap. 10. inf. Arumæ: ad A. B. diſcurſ. 6. theſ. 4. Killing. de Ganerbinat. diſcurſ.* 15.

6. Hanſeaticum verò, & Vandalicum Fœdus, licet inibi magna ex parte, Civitates Provinciales, aut mixti quem vocant ſtatus, comprehendantur: temporis tamen diuturnitate immemoriali, aliiſque rationibus, facilè defendi poteſt. *Nolden. de ſtatu Nobil. cap. 9. num. 390. Servin. tom. 2. des plaidoyes, cap. 11. fol. m. 267. Theſoro politic. tom. 3. ad fin. Betſius de pactis famil. fol.* 53.

7. Sic etiam cum infidelibus, vel hæreticis, fœdus inire; etſi per ſe illicitum haud ſit: ut exemplo Abrahami, fideliumque aliorum approba-

ri poteſt. Id tamen omninò periculoſum eſſe videtur: maximè ſi ad offenſionem aliorum Chriſtianorum, talia fœdera tendant: *Arumæ.ad A. B.diſcurſ.6. theſ.7.Octav. Cacharan.diſp.ſing. quæ juncta eſt ejuſdem Deciſionib. Pedemont. Alber. Gentil.3 de Bell.cap.19.La Nove diſcurſ.21. Mercure Fr.tom.10.fol.9. A.C.1623.Paruta 2. diſcurſ.3.fol. m.334.* qualis fuit Liga illa infauſta, contra Carolum V. Imperatorem, inter Franciſcum I. Galliæ Regem, & Turcarum Imperatorem pacta; quæ millia aliquot Chriſtianorum, Turcicæ ſervituti mancipavit, nec tamen rebus Gallicanis profuit multùm. *Dn. Lanſ.orat. contra Gall. Hondius in deſcript.Ital fol. 169. ubi de Fundis Campaniæ civit.*

8. Et porrò Fœdera cum infidelibus contracta, ſi non Religionis immutationem; attamen atheiſmum: quæ verò cum hæreticis ineuntur, contagio latent, Religioni veriori, plerumque ſunt pernitioſa. *Chokier. in Theſaur. polit. lib.2. cap.9.Molan.tract. de fid.hær.ſerv.1.c 20.& ſeqq.*

9. Regulariter item improbanda videntur fœdera, cum nimis remotis: *Waremund.lib.1. cap.2.num.127.de fæder. fol.217.&c. Apollinar. Chalderin. diſcurſ. 6.* quæ utpote plus habent vanæ pompæ, quàm utilitatis; ac Germanis inprimis Magnatibus, ſunt fugienda. Quibus etiam accenſemus, quæ ineuntur cum Domo, vel Familia offenſa: quia ferè, etiam poſt pacem utcunque ſolemnem, rancor aliquis perdurat, & cicatrix ejuſmodi, rarò caret ſubpuratione.

10. Cautè

10. Cautè etiam contrahenda sunt Fœdera, cum potentiori; quia frequentius degenerant in subjectionem: *Feschius disput de Fœderib.thes.* 12. *sub lit. A.* Idque olim Apologo Equi, qui contra cervum, pascua sibi corrumpentem, hominis auxilium imploravit, docuit Stesichorus Poeta. Vt & cum iis, qui in diversa Politiæ forma vivunt; cùm diversa etiam animi sensa habere videantur. Et tales sunt, Principum cum liberis Civitatibus colligationes. *Lehman.lib.ult.cap.* 65. *& fol.* 637. *col.* 1. *Parthen. Litigios* 1. *cap.* 6. *num.* 34 Suntque pariter fœdera periculosa, cum nimis miseris, & afflictis. Quia nempè, ut cum Lucano *lib.* 8. loquar; *Quærunt*

Cum qua gente cadant.

Lips polit. 4. *cap.* 9. *num.* 47. *&c.* Tum demùm autem, afflictos deserere non debemus; cùm periculum eorum, aut nunc, aut aliquando, etiam nos contingere potest. Tuncque iis, aut nos jungere, aut occultè juvare eos debere, monet Waremund. 2. *num.* 132. *fol.* 222. *lib* 1.

11. Ratione conditionum, sub quibus Fœdera contrahuntur; primò ea ita dividuntur: ut quædam vel commercii sint, vel defensionis, vel etiam utriusque. At omnium arctissima societas ea censetur, cùm hostes eosdem, & eosdem cum sociis, socios habemus. *Ayala* 1. *de jur. bell. cap.* 7 *fol.* 135. *Bodin.* 5. *de Repub. cap.* 6. *à princ.*

12. Et item secundò, ratione pactorum, & determinationis earum rerum, in quibus fœdus servari oportet; illud vel æquale, vel inæquale

ſeu impar habetur. *Pet. Faber.* 1. *ſemeſtr. cap.* 7.

13. Æquale, contrahitur fermè inter æquè potentes, conditionibusque æquis; ut ſcilicet unus non in plus, quàm alter, ſit obligatus, præſtetque. *Keckerman.* 1. *polit. cap.* 24. *fol.* 390. In Fœdere inæquali, alter alterius Majeſtatem comiter obſervare promittit, vel aliud ſimile quid, quod ſpeciem aliquam habeat ſubmiſſionis. Quales ſocios Romani olim; nunc Turca, aliique Potentes habere optant.

14. Huic ideo inæquali fœderi annumeratur, quod eſt inter Patronos ſeu Defenſores, aut protectores, eorumque Clientes (Schutz/ vnd Schirms Gerechtigkeit / vulgò dici ſolet) Ferèque Civitates Imperiales, non ita potentes, tali Patrocinio, Principum vicinorum ſe ſubdunt. *Arniſæ. de jur. Majeſt.* 1. *cap.* 6. *ad fin.* Inprimis etiam Monaſteria, *vide Documenta rediviva, Monaſt. VVirtemb Lehman.* 2 *cap.* 36. *fol.* 358. *&* *fol.* 540. *ac* 542. *lib.* 5. *cap.* 108. *fol.* 630. *VVehner. verb.* Vogtey.

15. Et hinc Clientes, utcunq; habeant Dominos ſuperiores, nihilominus liberi remanent; ac ut Fœderati, non ut ſubditi ſunt cenſendi: *Ziegler.* §. *Landſaßii, concluſ.* 1. *num.* 82. *Gail.* 2. *obſervat.* 54. *num.* 2. *VVehner. v:* Schirms Verwandten. *Tuſchus lit. C. concluſ.* 628. *num.* 18. *&c. ac concluſ.* 629. *ut & lit. R. concluſ.* 56. *Ego de Appellat. cap.* 4. §. 5. Neque etiam per protectionem, aut jus Advocatiæ (durch die Kaſten-Vogtey) territorii juriſdictio regulariter probatur.

batur. *vide Magerum; ac Chockier.tract. de Advocatia specialib. Thom. Michael. de jurisd. thes. 55. Vietor.disput de exempt. conclus.*20.

16. Attamen Clientela, sæpè degenerat in superioritatem: *Bodin.5.de Repub.cap.6.VVaremund.lib.*1.*cap. ult. num.*13. idque multi Principes non solùm, sed & liberæ olim Imperii Civitates, nunc Principibus subjectæ, sunt expertæ. Ac sæpius, primus post protectionem gradus, subjectionis atque Imperii initium existit. *VVehner.in Metamorphos. Rerumpub. cap.*8. Et quidem, hoc maximè tum fieri assolet; si Patroni Arces vel Oppida Clientum, præsidio teneant militari: aut protectio hæcce perpetua sit (quam Erbschutz nominant) vel etiam in literis Clientelaribus talia pacta contineantur, quæ jurisdictionem aliquam important: ut sunt Advocatiæ Monasteriorum nonnullorum; si secum trahant potestatem rationes inspiciendi, & exercitium aliquod jurisdictionale, *Rosenthal. cap.*4. *conclus.*14. *num.*4. *lit.d. Camman. disput de Majest. jurib.*5. *thes.* 104. *Knichen. de territ. superi. cap.*4.*num.*329.*Hortleder. vol.lib.*5.*cap.*12. Sed tamen Monasteria, ex parte subdita, ex parte libera esse possunt. *Document. rediviv. Wirtemb. Monast.in præfat.ad fin.*

17. Fœdera ut sanctiora sint atque firma magis, sæpe in Senatu vel Curia majore, aut etiam in Optimatum, Populive Comitiis promulgantur; non certè solum, ut in multorum notitiam, hac ratione incurrant, sed & quia multum

referre videtur, num cum Rege, an quoque cum Regno, Fœdus fuerit pactum. *Bodin. 5. de Repub. cap.6. Cabotius 2. disput. jur. pub. & privat. cap. 13. & seq.* Quandoque etiam affinitate, & propinquitate contracta, Fœdera roborantur: *Betsius de pactis famil. cap. 6. fol. 166. &c. Dn Contzen. 8. polit. cap ult. num. 6.* ac participant Matrimonia Magnatum ferè semper de ratione status: quod nostra memoria, tractationes matrimoniales inter orbis Christiani Reges Magnos, demonstrarunt sufficienter.

19. Solent & variis cæremoniis, fœdera sanciri, atque roborari; cum primis juris jurandi accedente Religione: *Scip. Gentil. in Orig. verb. urbs. Camer. cent. 2 cap. 78. Cunrad. Brun. de Legat. 3. c. 13 Paschal. de Legat. cap 64 Alexan. Sardus de morib. Gent. 3 cap. 14.* quamvis etiam fidei datio simplex (utpotè maximè in bonæ fidei, & jurisgentium contractu) sufficiens meritò reputetur. Quo intuitu Hispani dicunt: *Palabra de Rey; per un gran Sagramento.*

10. Fœdera ferè temporaria esse solent; ut scilicet vel ad certum determinatumque tempus durent, vel tamdiu habeant vim, quamdiu socii Principes vitali aura fruuntur. *Cabotius 2. disputat. cap. 13.* Hocque in casu, Pactis adjungere, consultum inprimis reputatur; ut aliquot annos post mortem alterutrius Principis, vigorem obtineant confœderationes: ne scilicet ex abrupto, & præter opinionem evanescant. *Bodin. 5. de Repub. cap. 6. Camman. disput. 5. thes. 93. Ærod. rer. judic. 3. t. 5. cap. 3.*

20. Nec

20. Nec tamen Fœdera perpetua, si sæpius renoventur, improbantur: secus ac censuit Bodinus *d. cap. 6. num. 962.* Idque Helveticarum, Henseaticarumq; Civitatum, edocent consociationes. Ac quoque locus est perpetuo fœderi, inter Monarchas: teneturque successor, pactis conventis stare; cùm quippe Regio, Regnique nomine, & in ejus præsumptam utilitatem; fuerint celebrata. *Ayala de jur. bell. 1. cap. 7. fol. 147. Gentil. 3. de jur bell c. 22. Decian. respons. 22. lib. 1.*

21. Porrò autem; cum vicinis non fœderatis, vel pacem aut Inducias habemus; vel etiam vicini, ut *Neutrales* considerantur.

22. Et quamvis Neutralitas, à multis improbetur, vix tamen in totum rejici potest: quod Politici prudentes, eveniente casu, ex rerum circumstantiis dijudicabunt: præsertim apud Christianos, ubi se bellis alienis immiscere, impium videtur. Newmayer / *tract.* von der *Neutralitet. Ego de jur. Fæder. ad fin.*

23. Neutrales etiam, ni pro hostibus haberi velint, neutri ex bell gerantibus plus favoris, subsidiiq; adhibere debent. Ac aliter, qui faciunt exitium sibi sæpissimè procurant. *Richter. axiomat. polit. 246.*

24. In Bello Civili, si contra rebelles (vel etiam vicinos) Principi bellum sit, non licet subditis vel Vasallis, particularis necessitatis prætextu, obtendere Neutralitatem: cùm ad defensionem sint obstricti, & ad servitia militaria cogi queant. *Grotius de jur bell. 2. cap. 26.*

CAP.

CAP. XII.

DE BELLO.

1. NUnc de vicinis, ut *Hostibus* agam: ubi primò sciendum est, armorum tractationem, etiam tempore pacis, omninò necessariam esse; *Dn. Contzen.* 10. *polit. cap.* 14. *per tot.* ut nempu ad occasiones, & cunctas necessitates bellicas, Exercitum, id est, verè exercitatos, habere possimus. Facilè namque, ut Plato alicubi scribit, eæ civitates ab exteris vincuntur, quæ prorsus arma deseruerunt, seque totas otio (pacis certitudine freti) manciparunt. *vid. Hippol. à Coll. lib. in Principe, c.* 11. *Christoph. Forstn. hypomnes. polit.* 1. Nihilque rerum mortalium, tam instabile ac fluxum est, quàm fama potentiæ, non sua vi nixæ. *vide Veget.* 1. *c.* 1. & 28. Porrò autem, exercitus, ipso nomine, exercitatos requirit. *Admirat.* 20. *disc.* 2. Respublica idcircò quælibet, tempore pacis, subditos in toto Regno, aptos & idoneos ad Bellum seligat, exerceat: quo, incidente necessitate, manu expediti, prompti, & semper parati sint, ad vim quamvis, illatam, armis propulsandam. *Lips.* 5. *polit.* 9. *Facius axiom. Bellic.* 31. 58. 90. quod jam olim Veneta Respublica fecit. *Bembus hist. Venet. lib.* 7. Sicque Nobiles olim, talium militum, semper paratorum, loco erant: quibus ideò Feuda dabantur. Hac-

que

que ratione, Principum quondam potentia, in multitudine Vasallorum consistebat: & Principes etiam non divites, magna olim bella gerebant. In Civitatibus quoque, optimi milites inveniebantur. *Camerar. in narrat. Turcic. fol.* 33 *addit. Lehman.* 2. *cap.* 24.

2. Exercitium autem hoc, primò Corpus ejusque robur & dexteritatem concernit. Etenim ut nemo negare potest, ad Duellum, promptiorem, confidentioremque esse eum, qui arte gladiatoria, vel Equestri præpollet: ita etiam ad Militiam Exercitatio conveniens, quemlibet magis aptum reddit; hocque intuitu Romani, seduli militaris Disciplinæ Magistri, Tyrones ad palum certare procurabant.

3. Sunt & animi intuitu, Milites futuri, ad fortitudinem, patientiam, Patriæ amorem, ac obedientiam inprimis instituendi, exercitandique. Vt nempe cum Aristotele 2. *polit.* 7. dicere possimus: Vitam militarem, multas virtutis partes habere.

4. Regulariter insuper Domesticus miles, externo & mercenario præferri debet. *Dn. Contzen.* 10. *polit. cap.* 20. & 28. *Renat. de Lusing. de increm. Imper. cap.* 6. Quique suis non fidunt subjectis, & ideò expetunt externos, hi stabile firmumque Imperium sibi polliceri non possunt: quod Respublica Carthaginensium, & Imperium etiam Græcorum Imperatorum, docere possunt.

5. Sanè omnes, qui magnum Imperium aliquod,

quod, vel acquisiverunt, vel tutati sunt; proprio, seu domestico Milite, id perfecerunt: ac parce etiam Sociis, Auxiliaribusque usi sunt, nec ex hisce, primarium Exercitus robur constare voluerunt.

6. Magis etiam præstare videtur, subditos omnes, eorumve partem majorem, ad Bellum expeditos esse: Pacis verò tempore agriculturam, & consueta munera alia, obire. Nocuitque Imperio Romano inprimis, quod ibi Milites singularem constituerunt statum: quodque optimi quique, sub Imperatoribus (secus ac illa Republica, libera adhuc existente, usitatum erat) haut militabant. Cùm tamen admodum Politicum sit præceptum, *7. polit. 9.* iisdem quibus Respublica committitur, arma etiam esse concedenda. Et ita Romæ ante tempora Marrii, paupeeres & servi, haud militabant: *Plutarch. in Mario.*

7. Minùs adhuc prodesse constat, si ex vitiosa populi fece, ad tympani sonitum Milites colliguntur; id quod ante Maximilianum I. Imperatorem, in Germania in usu minimè fuit; *Pontus Heuter. histor. lib. 7. fol* 341. *Sebastian.* Franck/ in der Päpst: vnd Keyserlichen Cronick *sub. Maximiliano I. fol. m.* 217. Sed omnes liberi, ingenuique, ac præsertim Vasalli, pro Patria militare cogebantur.

8. Quod verò nonnulli prætendunt, Militem collectitium, temerarium magis esse; & ideò ad prælia, aliasque bellicas expeditiones, domestico

mestico præstantiorem: qui utpotè uxorem, liberosque cogitet semper, & vel eorum ob causam, vitam amittere vereatur. Iis regerere licet exempla Turcarum (qui extero milite nunquam utuntur. *Bellon.* 3.*observ.c.* 18.) vetustiorum Helvetiorum, aliarumque nationum: quodque hodiè idem apud nos fieri non videmus, in causa est educationis, informationis, Exercitiique defectus, *Sed de his omnibus latissimè ego in dissert. de arte. jureque belli, c.* 2.

9. Insuper item quæri solet, Pedites vel Equites, num præstent? Superiori certe seculo, Germani Equitatu tantummodo usi sunt: cum inibi Nobiles solùm militarent; unde adhuc hodiè Nobilium ordinem, die Ritterschafft indigitamus. Vicissim Israelitæ omnes pedites erant: Regique Israelis, interdicta fuit accumulatio equorum; ne indè superbiat scilicet, fratresque oprimat suos. Sed verò in bello gerendo, tàm Equitatus, quam Peditatus, necessarius est; nisi Regionis natura, aliud velit. Itaque in certamine de prærogativa peditum & equitum, nil in thesi definiri potest *vide Veget.* 2.*cap.* 11.*Lips.* 5.*polit.c.* 7. *Amirat.disc.* 19.*cap.* 2.

10. Non autem Milites tantùm, sed etiam Duces in promptu habere, Respublica debet: *Regemorter serm.pol.fol.* 256. Et extat apud Plutarch. Chabriæ apophthegma: Formidabiliorem esse exercitum cervorum, Duce Leone; quàm Leonum, Duce cervo. Ac demonstravit Coriolanus, cum exulatum in Volscos abiisset,

Ducibus validiorem, quàm exercitu, rem Romanam esse. *Liv. lib. 2. Piccart. decis. 17. observ. c.* 9. Hi autem inprimis necesse est, ut sint non modò Milites boni, sed & boni viri. Namque aliter cùm fit, si quis benedictionem Divinam eo impediri negat, negat principia Christianæ Religionis. *Lips. 5. polit. 15.* Optimumque medium victoriæ est, ambulare in viis Domini. *Psal. 18. vers. 13.*

11. Ad belli quoque inopinatos casus, copia annonæ, pecuniæ, &c. *Veget. 3. v. 3. Petr. Gregor. 11. cap. 3. de Repub.* &c. ac item necessaria sunt arma, omnisque generis militaria instrumenta, Bombardæ, &c. Quarum inventio; antiquior esse videtur, quàm ut Berchtoldo Nigro, Anno Christi 1400. vel circiter, adscribi queat. *Ego dissert. de jure, arteq; bell c. 3.*

12. Sed quod Clypei, & arma singulis; hoc præstant propugnacula universis. *Paruta 2. discurs. 8. Piccart. decis. 13. cap. 3.* Sicq; primariæ aliquot urbes, mœnibus, ac vallis, sunt cingendæ, fossisque (ut ibi subditi complures habeant receptum.) Et quidem muniendæ sunt, ad modernam fortificandi rationem, ubi nempè unum punctum, longam lineam defendit, unumque punctum oppugnatum, non unicum, sed plura puncta tuentur. Ejusque artis cognitio, necessaria est Principi viro, aut Politices studioso. Vndè Camillus Vrsinus dicere solebat: *Che i Prencipi, che non s'intendono bene delle fortificatione, parte importantissima della militia, non mai potranno*

reger

reger bene gli stati loro. Botero, *d. detti. fol.* 40.*b.* Non autem approbandæ sunt Citadellæ, sive etiam parvæ Arces, Montibus impositæ. *7. polit. cap.* 11. *Amirato* 19. *cap.* 4. Illæ enim libertati insidiantur, & tantum si metus sit seditionis, extrui debent, hinc vicinum territorium non defendunt, sed ut plurimum latronum receptacula fiunt; si præsertim non à Territorii summo Principe, sed ab aliis Optimatibus, sive Nobilibus, possideantur.

13. Jam de *Belli Jure*, aliquid est addendum: ac quidem Belli origo, à jure gentium est. §. *jus gentium, Instit. de jur. nat. l. in hoc jur. l. manumissione, de justit. & jur.* Et inde homini Christiano bellum gerere licere, certum est; si modò sit justum. Magistratus namque haud frustra gerit gladium: sique suos punire potest, defendere etiam eosdem illi licet, contra alios cunctos. Ac quoq; si bellum gerere, per se, & semper malum esset: non hoc absq; peccato fecissent Israelitæ; ac etiam Johannes Baptista sustulisset, non reformasset ordinem Militarem. *Becan. de Analog. c.* 17. *quæst.* 1. *& in Manual. l.* 4. *cap.* 4. *Contzen. lib.* 10. *pol. c.* 3. *Covar. c. peccatum.* §. 10. *in fin. Bellarm. de Laic. c.* 14.

14. Quin & potest nonnunquam Princeps Christianus, conscribere Milites ex populo infideli. Si namque defensio non attendit armorum discrimen, undecunque ea sumatur; quid ni idem de armatis dicere liceret? *Herward. in defens: Ludovici IV. tom.* 1. *fol.* 126. *& seq. Bocer. de bello*

bello, 1.*cap*.8. *num*.16. *&c*. Sed hac in re, cautè omninò est procedendum: sicque Fridericus II. omnibus exosus fuit, quòd Saracenis militibus fuerit usus. *Lehman*. 5.*cap*.82.

15. Pariter Christiano non prohibitum ajunt, Principi infideli, quandoque auxilium ferre, aut in ejus militia stipendia merere; cùm ea, quæ gentium juris sunt, nobis cum infidelibus communia videantur. Quod tamen ita intelligi velim, si Bellum sit justum, nec contrà veræ fidei consortem susceptum. *Lancellot. Conrad. in Templo judic*. 1.*cap*.1.§.4 *fol*.381.*ac vide Paralip*.2.*cap*.18. *& seq. à princ*.

16. Sunt autem tam belli, quàm pacis jura, ex jure gentium definienda: eaque scire, propriè ad Politicam spectat. *Facius axiom. bellic*. 1. *& seqq*. At ridiculi sunt, qui ex jure civili, hac de re garriunt multa. Ac certè singulares de bello leges dedit Moyses. *R P. Becan. de analog. cap*.17. *quæst*. 2. Theologicè etiam ac Politicè, de eo jure agit Contzen. 10. *politic.cap*.1.*&c*. *Molina tract*.2.*disput*.98. *&c*. *vide qu q*; *Alber. Gentil. Balthas Ayalam, Hugon. Grot. in tract. hac de re singul*. Ad bellum verò legitimum requiruntur tria, conjunctim: (1.) Principis authoritas, (2.) diffidatio, (3.) sufficiens causa. Authoritas tamen principalis (quo intuitu, belli movendi jus ad Majestatem spectare censetur. *Contzen cap*. 4. *Sixtin*. 2 *de Regal cap*.1. *n*.15.) non adeò necessaria est; si aggressio sit inopinata. tunc enim ut unus, sic & plures sese defendere impunè possunt.

ſunt. *Bellarm.de Laic.cap.*15 Hincque ajunt,ſi in mora periculum ſit, tacitum conſenſum ſuperioris adeſſe præſumi. *Cardinal. Tuſchus lit. B. concluſ.*33. Denunciatione quoque(quam hîc adeò requirunt; *Judic. cap.*11.*verſ.*16. ut ſi abſque ea bellum geratur, in captivos tanquam latrones animadverti poſſit *Facius axiom*, 35.) haud opus eſt, in Bello defenſivo: cùm is, qui offendit, etiam non monitus debeat ſcire, aggreſſum pro virili ſe defenſurum. Quod idem de Rebellibus & qui noſtro ſuberant Imperio, dici poteſt. *Ego de arte, jureq; belli cap.*5. §.4. Denuntiationem autem ſolam ſufficere, minimè eſt dicendum: quamvis in Lombardia; *Tuſchus lit. B. concluſ.*39.*num.*11. ac etiam in Germania olim, talis fuerit conſuetudo, da das Fauſtrecht noch galte. *Lehman.*5. *cap.*112.

17. Juſtum autem Bellum, ratione cauſæ exiſtimatur, quod ſuſcipitur, ut in Pace ſine injuria vivamus: hocque intuitu aut eſt defenſionis, aut recuperationis, aut etiam juſtæ offenſionis. *S. Auguſtin.quæſt.*10 *in Joſuam. Contzen.* 10 *polit. cap.*6.*Tuſchus lit. B. concluſ.*24.*& ſeqq Pet. Gregor.*11.*de Repub cap.*1.*Marta* 1.*de juriſdict,cap* 4. *num.* 31. Sed tamen priùs pacificè ab hoſte petenda eſt ſatisfactio. *Ego d. cap. num.*5. Poteſt item ratione intentionis, etiam ex utraque parte bellum eſſe juſtum *Biſciola* 5.*cap.*7.

18. Bello ob defenſionem ſuſcepto, nos noſtraque (aut etiam Socios, & Clientes noſtros) ne injuria ipſis inferatur, vindicamus. Bello verò

recuperativo; repetimus res, vel noſtras, vel Sociorum, illegitimè ablatas.

19. Juſtè offendi cenſent nonnulli, eos, qui nobis, noſtriſque, injuriam intulerunt graviorem: puta ſi Legatos noſtros offenderunt, &c. Aut etiam, ſi denegent id, quod jure Gentium nobis, noſtriſque debetur: tranſitum nempè innoxium, ex uſu debitam Seſſionis prærogativam, &c. *Ego cap.* 5. §. 6.

20. Hincque ſi nobis, noſtriſque Subditis, juſtitia denegetur ab eo, cum quo jure experiri nequimus, Repreſſaliæ (quæ ſpeciem quandam Belli habent, & ex eadem cum illo juris ratione procedunt) licitè uſurpantur.

21. Non autem ſatis ſufficiens offenſionis cauſa reputatur, ſi quis vicinos ob infidelitatem, aut Barbaricos mores oppugnare velit. Licet & hic Judicia ductuſque, ac inſtinctus DEI, varii ſint: ut teſtantur Bella Iſraelitarum, contra Chananæos; Hiſpanorum contra Americanos, &c. ubi Jus Belli in providentia Divina poſitum videtur, *Judic.* 11. *c.* *v.* 23. *&c.*

22. Sunt & Bella ſæpè juſta, reſpectu DEI, peccata noſtra punientis; non verò reſpectu ejus, quo DEUS utitur loco virgæ. Qualia ſunt Turcica Bella, & olim Aſſyriorum contra Iſraelitas. Ubi nihilominus aggreſſis ſeſe defendere licet: namque aliàs eandem ob rationem, haut liceret mederi morbis. Veruntamen Deditiones, & pacta, etiam tali hoſti ſunt ſervanda. *Jerem. capite ult.*

23. In Bello justo, stratagematibus, seu belli furtis, uti licet: *Lips.* 5. *polit.* 18. *Contzen.* 10. *polit. cap.* 38. Unde Sil. Italic *lib.* 5. *Bellandum est astu, levior laus in Duce dextræ. add. Veget.* 3. *&* 9. *& Polyænum, à princ.* Modò tamen stratagemata illa, careant perfidiæ nota, nec egrediantur terminos boni doli. Hincq; veneno, vel aliter insidias struere, vitæ hostium Ducis, minùs honestum habetur: ut & si Incendiarii, seu Mordbrenner/ emittantur; victualia, ac pascua, toxico conspergantur. *Ego de arte belli, cap.* 5. *num.* 11.

24. Exploratoribus etiam, quin & Proditoribus uti, nil impedit. *R. P. Dn. Contzen. lib.* 10. *cap.* 51. *& seq Camerar. centur.* 1. *cap.* 7. *& centur.* 2. *cap.* 60. *ac seq.* Quamvis Proditoribus non sit fidendum: potest enim aliquis simulare, se talem esse. Suadetque Montluc. *lib.* 1. *des commentair. militair. fol.* 14. ut exulibus, ac Bannitis, fides non habeatur, nec oppida, vel arces ipsis concedantur. Non tamen Patria, etiam justo bello petita, salva conscientia, prodi potest; cum ei ad fidelitatem adstricti simus; & quæ in contrarium ex Sacris Historiis afferuntur documenta, minimè regulam constituere videntur. *Danæ.* 7. *polit. cap.* 6. *fol.* 526. Sed tamen hoc est intelligendum de tali bello, quod absolutus contra absolutum gerit: non si superior, inferiorem oppugnat. Tunc enim major est obligatio erga superiorem; & amittit inferior jus omne in suos, si Dominum oppugnet.

25. Ipsum bellum cùm est gerendum, primò omnium dispiciendum erit: num præstet hostem domi expectare, an verò expediat magis, extra fines Imperii gerere bellum? Quod ex natura regionis, aliisque circumstantiis dijudicatur. Nempe si qui aggressus est, domi satis sit fortis, & subditi bello assueti; hostibus obviam prodire vix debet: & ta is, etiam minori cum damno, patitur cladem in Territorio suo; ubi receptum habet, & latibula novit. Ex hostibus vicissim paucissimi evadunt, si in nostro territorio, prælio superentur. *Bodin. 5. cap. Amirat. 18. discurs. 2. Paruta 1. discurs. cap. 4. & seqq. Montaign. 1. des essais cap. 47. fol. m. 261. &c.*

26. Actiones bellicæ sunt; disciplina Militaris; & calamitates hosti illatæ, vel declinatæ. Partes verò militaris disciplinæ, duæ sunt; Exercitium & coercitio. Est enim disciplina militaris, severa confirmatio Militis, ad robur & virtutem, à Duce belli instituta. *l. 12. ff. de re milit.* Hæcque est præcipuum decus, & stabilimentum Imperii, vinculumque tenacissimum: ex cujus sinu, atque tutela, serenus, tranquillusq; beatæ pacis status acquiescit. Quæ ideò Romanis olim, antiquior fuit liberorum charitate. *l. 19. § filius, de captiv. & postlim. Leo Imperator de bellico apparat. in præfat. Dn. Contzen. 10. cap. 24. Regemorter. serm. polit. fol. 127. Camerar centur. 3. cap. 10.* Hæc item, tantam magnitudinem peperit Hispanis. *La Nove discurs. 16.*

27. Exercitium militare est, quo adhuc magis,

gis, quam in Pace, Milites assiduè ad usum armorum, atque opera militaria instituuntur. Nulla enim re, Militem damno majori affici constat, quàm otio & luxu. Sic una hyberna, Annibalem solverunt, & indomitum illum nivibus, atque Alpibus enervarunt Campaniæ fomenta.

28. Coercitio, Milites in officio tenet; quæ in militia eò diligentius observari debet, quantò insolentiores præ aliis milites esse solent. *Contzen.* 10.*cap.*58.*Amirato* 13.*cap.*3. Hícque manu Regia, absque litis sufflamine procedi: & pœnæ etiam contra Sacramentum militare, ejusq; articulos (**wider den Articuls Brieff**) commissorum delictorum, ut plurimum solent esse capitales.

29. Ad calamitatem bellicam pertinent; Prædatio, Vastatio, Captivitas, Obsidio, Prælium, &c. quæ cuncta tamen moderanda sunt, ne, non adversus hostes tantum, sed cum ipsa rerum natura, bellum nos gerere videamur. *vide me dissert. de arte jureque bell. cap.*8 *per discurs.*

30. Hincque ad terrorem, ad nostrorum militum sustentationem, eorumque fortitudinem excitandam, deprædationes & expilationes, concessæ omninò sunt. Ut & quò hosti internecino, eò magis noceatur, isque terreatur, ac puniatur, neque se facilè iterum recolligere possit; vastatio, ac exustio (ab initio præsertim) aliaque media crudelia, adhiberi solent: maximè si de fide devictorum desperetur. Quamobrem etiam olim transmigrationes, sive transportatio-

videtur. *vide Bocer. 1. de bello. cap. 17. num. 3 Tuschus lit. B. Conclus. 39. & seq. Merlain Empor. t. ult. quaest. 6. Pet. Gilken. de acquirend. rer. domin. fol. 284 &c. Ego de jur bell. c. 8. n. 3. & 5.*

34. Obsidiones ; temerè suscipiendae non sunt. Magnorum enim Exercituum coemiteria; militari proverbio indigitantur: *Marnix. 8. resolut 6. & 21.* & hoste praelio victo, saepius ultrò se dedunt urbes, aliàs satis munitae. Nupera tamen Belgica & Gallicana belli gerendi ratio, magis studet munitionum occupationi, quam ut praelii aleam tentet.

34. Hinc modernum Belli axioma est praelium antequam ineatur, hostis vires velitationibus esse tentandas. *Amirato 1. discurs. 19. contra Machiavell. 3. com. cap. 37.* Et in genere ; pugnae certamen (ni certissima victoriae adsit spes) quacunque ratione fieri potest, evitari debet ; cùm nempè profligatus, famam simul amittat, nec facilè iterum redintegret vires.

36. Verùm proximis, ac nec dum omni ex parte sopitis Germanicis bellis, à regula hac aliquantum recessum fuit: prudentissimique Belli Ducis judicio perpendendum est, commodum ne magis sit, obsidionibus implicari, an verò confligendi captare occasiones.

37. In obsidionibus autem, tàm in iis, qui obsidentibus, quàm qui obsessis praesunt ; insigni prudentia, industria, dexteritate, & vigilantia opus est. Imprimis qui obsident, ita munire castra sua necesse habent; ut obsessi sic sint valla-

ti, ne per excursiones obsidentibus nocere, nec ad obsessos succursus pervenire, obsidionemque disturbare queat: quod tam Græci, quàm Romani fecerunt, ut Justus Lips. *in poliorcet.* tradit. Obsessi vicissim operam dare debent, ut semper uno propugnaculo, bombardarum fulmine petito, aliud retrò statim ædificetur; & ita hostis non una vice, sed par partes, urbem capere cogatur. Stratagemata autem tam obsidentium, quàm obsessorum, congessit Dn. Contzen. 10. *polit. cap.* 46. *& seq.* ut & ego *de arte belli. cap.* 8. *num.* 8. De obsidionibusque agunt rei militaris, architectonicæque bellicæ Scriptores; in multifariis Linguis ubivis obvii. Eaque de re dispicere, pertinet ad artem singularem, στρατηγικὴν, seu Polemicam dictam. Forma etiam aciei (quæ haut exigua artis Imperatoriæ pars est) pro ratione circumstantiarum, loci, & hostis, varia est ac generatim, ita comparata esse debet, ut non tam ad resistendum, quàm ad reintegrandam, aliqua ex parte ruptam aciem, accommoda sit. Et ideò, Romanorum aciei dispositio, cæteris præstantior videtur. Contzen. 10 *cap.* 30. 37. 40. 42. 43. *Lipsius* 16 *cap.* 5. Prælium verò navale, toto genere differt à terrestri; aliterque equi, aliter naves gubernantur. *Contzen.* 10. *cap.* 10.

38. Principem ipsum, bellicis expeditionibus, ac inprimis præliis interesse, non decet; *vide Mich. de Montagne* 2. *cap.* 21. *Lips.* 5. *polit.* 14. *Contzen.* 10. *cap.* 23. Alium atque constituat belli Ducem: cui tamen libera potestas, non facilè

soli

ſoli danda erit. Præſertim ſi ipſe habeat occaſionem, Militum animos ſibi conciliandi, & ea ratione principatum, vel loca occupata ſibi vindicandi. Id quod adhuc magis in libera Republica obſervandum videtur: hocque neglectum, Rempublicam tandem Romanam in Monarchiam commutavit.

39. Bellum ſubſequitur victoria (qua rectè uti, ſumma prudentia, ac etiam felicitas eſt) aut *Pax*; quæ tamen nunquam pernitioſior eſſe bello: eaque firmior ac diuturna magis ut ſit, ſub Clypeo, quod ajunt, fieri debet. *Lipſ.* 5 *polit. cap.* 19. Hocque unicum eſt tempus de pace agendi, dum uterque ſibi confidit. *Boccal.* 2. *rag.* 5. Namq; non Pax, ſed deditio plerunque eſt, ſi victus cum victore paciſcatur: aut ubi de Pace non audiuntur tractaturi, niſi inermes. *Ærod.* 3. *rer. judicat. tom.* 5. *cap.* 15. Et nec tamen recuſanda victori pax eſt, ſi non certus is ſit, de totali interneccione, ac ſubactione ſui inimici.

40. Eſtque Pax ſæpius ſimulata: ut nempè debilior recuperet vires, & alacrioris hoſtis primus impetus retundatur: adeò ut ſi quis has artes non attendat, majus ſæpe periculum incurrat Pace, quam pateretur ipſe per bellum Paxque non perpetua, Induciæ vocantur: quæ à Pace plurimum diſtant. *l* 19. §. *poſtliminium, de captiv. Mantica de tacit. & ambig. couent. lib.* 27. *tom.* 2. Barbari Treugam vocant: à Germanico Trew. *Addi autem poteſt diſſertatio mea, de Pace pacisque jure.*

CAP. XIII. & ult.

DE LEGATIS.

1. CUM exteris agitur per *Legatos* (quos nunc Ambasciatores vocitamus, Germanica vetusta voce. *Lindenbrog. in Gloss. verb. Ambasciator. Freher. ad Petr de Andlovv. lib. 1. cap. 13.*) Et specialiter qui ad hostes mittuntur, Feciales, aut Caduceatores, nominantur; *Alber. Gentil. de Legat. 1. cap. 12.* Quorum vice nunc ferè Tubicines usurpantur. Neque etiam Heraldi nostrates (dicti ab Heer/ id est, commune, & Ald/ quod est servus) verè sunt Feciales.

2. Cùm autem congressus, & collocutiones Principum, qui seria tractant, periculosi reputentur (ut Comminæ. *lib.* 3. & Paulus Æmilius, ubi de congressu Richardi Angli, & Philippi Aug. Galli, agit, exemplis illustrant) ac etiam secreta literis committere, minimè tutum reputetur. *Conrad. Brun. de Legat. lib. 1. cap. 2.* Legationum indè usus, necessarius videtur. Hocque intuitu Legatus à Poeta indigitatur:

Vox Regum, lingua salutis,
Fœderis Orator. Pacis via, terminus iræ.
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis.

3. Propriè autem Legati habentur, quos mittunt ii, qui potestate summa, seu Majestate præditi sunt. Ac proindè, nemini subditorum, vel mittere vel recipere Legatos, est concessum:

ut

ut jam dixi, cùm de juribus Majestatis agerem, & latiùs ea de re tractavi dissert. de Legatis, cap. 3. Ideoque Legati Provinciales (de quibus sub Tit. ff. & C. *de Legatis*, agitur) quos vulgò Deputatos vocant, & qui ad Principem à subditis mittuntur: ut & Commissarii, quos Princeps ad subditos mittit, haut rectè Legati indigitantur. Et ita hodiè etiam in Imperialibus Conventibus, Ambasciatores, Bottschafft/oder Gesandte/ appellitanturii, qui ab aliquo absoluto Principe ablegantur: Abgesandte / quos Status ad Cæsarem mittunt. *Kirchner. h.lib.* 1 *.cap.* I *.nu.* 20.

4. Ex eadem ratione apparet; rebelles haut habere jus mittendi Legatos, ut & Latrones, aliosque, quibus non est potestas belli movendi. *Alber. Gentil.h.lib.* 2. *cap.* 7. *& seqq.* Sicque Rex olim Hispaniarum, Montignium, Belgarum ablegatum, supplicio affecit: *vide Dikeson. in specul. Tragic. fol.* 104. & apud Angliæ Reginam conquestus est, quod eorundem Agentem, ut Legatum tractaret. Ne tamen rebellibus, & seditiosis, omnis reconciliationis, aut etiam excusationis media adimantur; eorum Agentes, vel deputati, securitatem habere debent. *Hottoman. in tract. Gall. de Legat.* 4. *num.* 22. *Paschal, de Legat. cap.* 12.

5. Vicissim si ab extraneo aliquo, ad alterius Principis subditum, mittitur Legatus; is vel non recipi, vel ejus petita, superiori statim manifestari debent. Germaniæ tamen Principes, jure, & privilegio liberi Imperii, de negotiis sui Prin-

cipatus (vel etiam libertatem communem) concernentibus, jus Legatorum exterorum recipiendi,& ad eos mittendi, habere dicuntur. *vide Paſchal.de Legat.cap.* 11. & 13. Quod tamen Kirchner. *de Legat.cap.*3.*num.*19. cum mica ſalis intelligendum ait. Hocque idem,ad Civitates Imperiales extendunt. *Arumæ. ad A.B. diſcurſ.* 1.*theſ.*8.

6. Suntque Legati,vel ad certum aliquod negotium expediendum; vel ut perpetuo reſideant, in alterius Principis aulam, miſſi. quorum officium eſt, Principis ſui negotia, quæcunque occurrunt expedire, ac etiam ſagaci prudentia explorare,nequid in præjudicium ſui Domini, inibi tractetur. Hisq; in loco manentibus; interdùm extraordinarii Ambaſciatores mittuntur. Agentes verò vulgò vocitant, qui Domini ſui negotia agunt,ſine titulo Legati.

LIBRI III. POLITIC.

DE INCREMENTIS Imperiorum.

CAPUT UNICUM.

1. NVnc de *Augmento* Reipublicæ pro inſtituti ratione,paucis agam: cujus ſanè rei ſtudium, nunquam eſt intermittendum; ejusque etiam Cæſa-

Cæſares noſtri, glorioſiſſimo titulo ſuo admonentur, cùm Auguſti, & propagatores Imperii (Allezeit Mehrer deß Reichs) indigitantur. Et hoc vel eſt internum, vel externum: & Internum quidem, vel eſt naturale, vel induſtriale.

2. Amplificatio Reipublicæ naturalis: fit, vel per populi multiplicationem; vel per Territorii culturam. Populus mutiplicatur, Venerem vagam coercendo, cœlibatum (ſi non ſit caſtus) prohibendo, πολυτεκνίαν remunerando. Sicque Ægyptus olim, numero hominum, omnes ferè gentes ſuperavit: Cauſſam autem frequentiæ hujus, Diodor. Siculus *lib.* 1 *cap.* 3 *&* 6. hanc adfert; quod filiorum educatio, minimè illis conſtet; propter victus & amictus frugalitatem. Hûc & Principum liberalitas accedit; quæ multùm ad propagationem prodeſſe ſolet. Ideò Coccejus Nerva, puellas, puerosque, natos parentibus, egeſtoſis, ſumptu publico ali juſſit. Et Adrianus, pueris & puellis, quibus etiam Trajanus detulerat alimenta, incrementum liberalitatis adjeciti *Spartian. in Adrian.* Populus pariter multiplicatur, cum alienæ Reipublicæ homines, ſeſe nobis ut aggregent, illiciis variis invitantur. Idque fit; ſi alii vident, in noſtra Republica, ſumma cura, communem foveri liberalitatem, publicamque ſalutem. Cultius autem territoriorum fieri ſolet: ſi ſylvæ non negligantur; ſi ne minima ejus pars, inutilis remanere permittatur. Quidque cultura diligens efficere poſſit, Germania noſtra probat; quæ olim vitibus pla-

nè carebat, quibus nunc magna pars, alitur. *Christ. Lehman.* 1. *cap.* 24.

3. Industriale Reipublicæ augmentum: tùm in ejusdem altitudine, ac dignitate; tùm in facultatum ac opum, tàm publicarum quam privatarum copia, consistit. Quò & pertinet admiranda substructionum: quæ non debent esse vana, sed commoda, & aliquam habentia continuam utilitatem. Et ita Augustus, moribundus gloriabatur, se è lateritia, marmoream fecisse urbem: Ejusque rei, veteres Germani, negligentiores cùm essent; *Tacit. de morib. German.* Carolus Magnus, Henricus Auceps, Ottones, & alii, eo incubuerunt, ut Germaniam è cespitibus vetustis, erigerent in splendorem Imperio dignum. Sicque Israelitici Imperii magnitudo, ex eo colligi potest; quod Salomoni fuerunt septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: absque præpositis, qui præerant singulis operibus; numero trium millium, & trecentorum. 3. *Reg. cap.* 3. Sic & Pyramidum miracula, magnitudinem adhuc monstrant Imperii quod olim Ægyptii habuerunt. Et nec magnitudinem solum, sed & ingenium populi illius testantur. Scriptum enim de iis invenimus, nullas eas jacere umbras: Unde Ausonius *in Mosella*:

Cui quadato adfastigia cono
Surgit & ipsa suas consumit Pyramis umbras.

Fastigio nempè, spacium basis exæquant; adeò ut umbra hæreat intùs, quando maximè Sol radios

dios suos sublimis demittit. Pariter Romanorum tanta opera fuerunt; ut nescias, num Ingeniorum, an corporum plùs quàm humanas illas vires debeas mirari? Crederes Palladem, Gigantibus Architectonicam monstrasse. *vide Lips. lib. 3. admirand per tot.* Describitque Pausanias, Græciæ magnitudinem, qualis adhuc sub Nerone fuit. At de interno hocce incremento, non est, quod pluribus agatur; cùm si Respublica ritè conservetur, & administretur, eo ipso melius reddatur.

4. Externè verò, dicimus Rempubl. augeri; cum territorio aliud terræ spatium accedit. Vbi inprimis est notandum, ut meliores reddantur, non ut amplificentur ditiones, accurandum esse magis. *Bellarm. de arte bene mo. 2. cap. 3. fol. 235. Boccal. 1. ragg. 47. Camerar. cent. 2. cap. 50.*

5. Etenim ut corpus humanum, si nimis sit magnum, vel inflatum; multos humores vitiosos parit: ita pariter Imperium, sua magnitudine laborat haut raro; externumque hocce incrementum, utilitas interdum dissuadet, & tuta est potentia, quæ viribus modum imponit: *Jul. Bellus in Hermet. polit. fol.* 201. nocuitque Romanis, nimia magnitudo. *Florus 3. cap. 12. Lucan. lib. 1. à princip.* Non raro etiam interest subditorum, Principem haut potentem nimis esse, neque latè imperitare. Sicque potentiam suorum Dominorum, semper impediverunt Flandri. *Comine. 6. cap. 9. fol.* 553 Sueci etiam olim noluerunt Regem suum habere plura regna. *Olaus Magnus lib.*

lib. 8. *c.* 38. Iidemque experientur aliquandò, bella Germanica, non pro utilitate illius Reipublicæ fuisse. Concludo hæc omnia, optimo Consilio Thomæ Mori; qui *lib.* 1. *Vtopiæ fol.* 36 *&c.* ita scribit: Populi Achoriorum, Vtopiensium Insulæ, bellum olim gesserunt, ut Regi suo aliud obtinerent Regnum; quod affinitatis antiquæ causa, sibi contendebat hæreditate deberi: consecuti verò tandem id, viderunt, nihilò sibi minus molestiæ esse in retinendo, quàm in acquirendo pertulerunt; verùm assidua pullulare semina, vel internæ rebellionis, vel externæ in deditos incursione; ita nunquam dari facultatatem exercitus dimittendi. Compilari interim se, efferri foràs pecuniam: alienæ gloriolæ, suum sanguinem impendi: pacem nihilò tutiorem, domi corruptos bello mores, imbibitam libidinem latrocinandi, confirmatam cædibus audaciam, leges contemptui esse; quodque Rex in duorum Regnorum curam distractus, minus in utrumuis animum intendere posset, &c.

6. Verùm amplificatio, ab externo quæ fit; vel voluntaria est, vel violenta. Ad illam refero; emptiones (quas impiè reprobat Machiavellus 2. *discurs.* 4.) spontaneam exterorum oblationem: quandò nempe defensionis gratia, Civitas, vel alius infirmior status, potentiori se dedit: qua ratione Respublica Romana crevit, & quoque Imperium Cyri, *Xenophon.* 1. *pæd.* Hucque pertinet, wann einer sein Eygenthumb zu Lehen auffträget.

7. Ad

7. Ad hanc eandem speciem Incrementi spectat, cùm plures Respublicæ coadunantur: quod Principi commodiorem reddit administrationem; sed quandoque Privilegia Provinciarum confundit, & obfuscat. *Bodin.4. de Repub. cap.1. Erasm. à Chokier. de jurisdict. exemptos, part.3. quæst.22.* Sicque Lithuania cum Polonia, A. C. 1386. per matrimonium conjuncta. Sicq; Norvvegia cum Dania, unita fuit. *vide me de Increment. Imper. cap.5. num.3. &c.*

8. Amplificatio territorii coacta, fit jure belli; deditione nempè, vi procurata, vel expugnatione. Et hîc absolutum, liberumque est Jus Victoris: nisi pacta intercedant; quæ utrinque sunt servanda, licet violenter, metuque extorta; modò Bellum fuerit justum. Ac sanè cum dedititiis, mitiùs plerumque agi solet, quàm cum bello captis. *Piccart. decad.10. cap.9.* Res verò & homines expugnati, Martis juri absolutè cedunt: indeque justissimæ fiunt, rerum bello justo adquisitarum possessiones: quæ nec repeti unquam, ex ea possunt. *Dionys. Halicarnass. lib.3. antiquit. Romanarum.*

9. Sed verò nec Religionis propagandæ ergò; vel ut barbari populi, cultiores, politioresq; reddantur, Bella sunt suscipienda. *S. Thom. 2. 2. quæst.10. artic.8. & 11. Molina tom.2. disputat. 114. & seq. Covarruv. in. c. pecatum, §.10. Marq. de Susanis tract. de usur. part.1. cap.14.*

10. Porrò autem, Regnum nuper partum tueri, quàm acquirere, difficilius habetur. *Richter.*

ter.axiom.histor. 216. Etenim exiguæ sæpe vires, ubi hostes incautos & imprudentes nactæ sunt, etiam prævalida Imperia circumvenire possunt. Sicque Alexandri Magni Principatus, penè defluxit prius, quàm ab eo fuerit partus. Indeque apud Trajanum Boccalini *centur.* I. *ragg.* 35. non ad Parnassi felicitatem, admissus fuit Tamerlanes: eò quòd nova fuerit molitus, nondum prioribus firmatis; quodque longis itineribus percurrerit, quæ nequibat retinere. Suntq; etiam Singularia novi Regni arcana. *Christoph. Forstner. Hypomn.* 55.

11. Ac nempè ea feliciſſimè Coloniis retineri, censent nonnulli. Huncque morem Romani usurparunt. Ac scribit item de Coloniis Græcorum, *in Panathenaic.* Isocrates: exindè Græcos ditiores, & copiosiores fuisse factos, magisque consensisse, tali & tanta hominum multitudine liberatos Barbaros extorres, & profligatos, submissioribus animis; duploque majorem fuisse Græciam, quàm initio fuerat, factam, &c. Pertinet hûc, quod habetur *Exod. cap.* 23. *vers.* 29. Non ejiciam eos anno uno, à facie tua, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos, donec augearis. *Addatur* Judic. *cap.* I. *vers.* 28. Hacque ratione Hispani, Indiam Occidentalem observant: *Herer. in histor. Indic.* & eorum ibi potentia, indies crescit. Cui similis est transpositio populorum: Assyriis & aliis Monarchis, quæ in usu fuit. *Joseph.* 10. *antiquit. cap.* 11. *Cuna.* I. *de Re-*

pub.

*pub.Hebræ.cap.*15.*& lib.*2.*cap.*23. Prodest etiam Jus, & Linguam Victoris, cunctis Provinciis subjectis communicare: Civitatem item largiri, conjugia miscere, &c. *de quibus Campanell. tract.de Monarch.Hispan.videri potest. Ego de increm.Imper.cap.ult.num.*10.*&c.*

12. Populi Septentrionales, per Feuda Militibus suis primariis concessa, terras devictas, in obedientia sat commodè conservarunt. Quibus non absimiles sunt Turcarum Timariæ: qui iis mediantibus, semper Militem in parato habent. *Traduccius in Turca vincibili,fol.*207.*&* 232.

13. Præsidia perpetua, & Fortalitia, ferè minùs probantur: Licet etiam Romani habuerint Legiones in limitibus, & quoque ubique Turres ac Claustra posuerint, in terris occupatis. *l.* 2. §.4.*C.de Offic.Præf.Prat.Afric.Buleng.de Imper. Roman.*3. *cap* 16.*& seq. Lehman.* 1.*cap.*10. Sic quoque hodie Hispani, per Citadellas (quas id eò vocant *Castiga vellacos*) sibi subditas ditiones conservant.

14. Ac sunt tamen, qui hosce modos posteriores, mitiores esse putant; quàm Colonias, transpositionem populorum, Feudorumque instituta: cùm indigenæ iis prorsus extinguantur.

15. Sunt, qui per vastitatem, desolationemque, retinent Provincias devictas: eò quod hac ratione minùs nocere possunt. *Camerar. cent.*2. *cap.*25. *Et jam suprà idem dixi.*

LIBRI

LIBRI QUARTI
ET VLTIMI.

DE MORBIS RERUMPUBLICARUM, earumq; cauſis, præſagiis, curatione, &c.

CAPUT VNICUM.

1. ORDINIS tandem ratio poſtulare videtur, ut ad *Curam Rerumpublicarum*, Medicinamque Politicam, accedamus: ubi primùm *cauſæ morborum*, quibus ſcilicet Imperia mutantur, vel evertuntur, erunt indagandæ. Fruſtrà enim & non niſi emperice, remedia tentat, qui cauſarum eſt ignarus.

2. Harum una, generaliſſima exiſtit; quod nil genitum, ſoleat eſſe æternum. Hincque nullum Imperium, utcunque magnum, potuit durare. Sic ipſum Regnum Iſraeliticum eſt exciſum; nulla ferè veſtigia apparent, trium priorum Monarchiarum: earumque everſionis cauſſas congeſſit Johannes Loccenius *in diſſertat. de Period. Imper.* Ac Imperium Romanum (quod æternum credebatur) ita eſt immutatum, ut planè aliud videatur, ac vetus olim fuit. Sanè ut corporis, ſic & Reipublicæ auxeſis quædam eſt, ſecundum naturam: deinde vigor, poſtea rurſus diminutio.

tio. *Polyb. lib.* 6. Ac ea una labes, Civitatibus opulentis est reperta, ut magna Imperia mortalia essent. *Liv lib.* 2. Respublica, etiam quæ optimè constituta, fatali huic rerum vicissitudini obnoxia est; ut Plato *in libris de Repub.* Sicque Juvencus *in prolog Histor. Euangel.*

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non Aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultima mundum.

3. Sed cùm Mundus casu haut gubernetur; DEI sanè Providentia, ut ubique, ita & hoc quoque in negotio, primas sibi meritò vendicat partes. *Exod.* 17. *vers. penult. & ult. Daniel.* 4. *Sirac.* 10. *Actor.* 17. *vers.* 26. Eaque non sapientissimè solùm, sed & omnino justè, cuncta agit; ac etiam ita procedit, ut Piis & devotis, nulla ruina Mundana obsit.

4. Stellarum verò positus, Astra nova, Cometæ, aliaque cœli & terræ signa; non causa, sed quandoque denuntiationes sunt mutationum. Errareque eos, qui contrarium assertant, docet Petrus Gregorius 21. *cap* 9. *num.* 19. *ut & Bodi.* 4. *c.* 2. *ac Picus Mirand. tract. sing. contra Astrolog.*

5. Illi autem, qui Astrorum cursum, & hîc, ac in cunctis negotiis humanis effectum aliquem habere, ajunt: eorum tamen plerique, eum non tangere illos dicunt, qui Cœlum Astrale suspiriis, votisque transcenderunt. Quod & innuuit

nuuit Abenezra, cum alicubi dicit: Filii Israelis non transeunt sub Rota. Et Lactantius II. *Instit. cap.* 16. Pium virum, non malus genius, non Fatum ipsum devincit: DEUS enim eum liberat, eripitque ab omni malo.

Si sanctis animis, amor
Veri Numinis imperet,
Non illos crucians timor
Astrorum, dubios trahet.
Astrorum Domino pius
Nam qui servit habet nihil
Quod formidet; & aurea
Libertate fruens pede
Conculcat valido minas
Martis, Mercurii, Jovis, &c.

At rectius alii dicunt, Astra nihil posse in voluntatem etiam impiorum; nisi admodum indirectè: agendo nempe primùm in corpus, & tum animum etiam afficiendo, minimeque cogendo. R.P. Alexand. de Angelis *in tract. contra Astrolog.* Benedict. Perer. *tract. singul.* Ant. Possevin. *in Bibliothec.* M. A. Delrio *in disquis. mag.*

6. Numeros etiam Fatales, Platonisq; periodos Rerumpublicarum (quæ utpote propter obscuritatem, in proverbium abierunt) tutius negliguntur, quàm extricantur. Ut & quod Peucerus *de Divinat gener. fol. m.* 30. *&c.* Gregor. Richter. *axiom polit.* 1. *& axiom. Oeconom.* 5. *& seqq.* aliique statuunt, nullum Imperium, ultra 500. aut 700. annos durare.

7. Impii, & planè Ethnici verò sunt, qui

DEUM

DEUM ipsum, vel Fato, vel Naturæ alligant: quorum illud Stoici faciunt, hoc Subtiles Athei, atque Epicuræi, & his non absimilis Machiavellus. *R.P. Dn. Wangneregg. in vindiciis polit.* 3. *cap.* 3.

8. Certè Providentia etiam Divina non ex absoluto decreto, Regna evertit; sed ob in justitiam, aliaque peccata Magnatum, vel Subditorum: unde Solon. *in Eleg. citata à Demosthene.* ita canit;

Non urbem Superi cupiunt evertere nostram,
Et nobis nisi sint Numina læsa, favent.
Ipsi sed patriam, sceleratis mentibus ultrò.
Conantur cives dilacerare suam, &c.

Divinæ tamen Providentiæ processus, admodùm est obscurus: quia nempè is est de Reservatis Divinæ Majestatis; ac etiam recessus animorum humanorum, quos DEUS inspicit, prorsus latent; nosque etiam ex fallacibus conjecturis, ab externis, quæ desumuntur, cogimur judicare.

9. Suntque *Morbi Rerumpublicarum* in differentia duplici: interdùm enim interit, vel evertitur Respublica, interdùm convertitur tantùm in suis formis; quandoque etiam pervertitur, cùm scilicet Status in contrarium vitium transit. Hosque morbos, φθόρας, seu corruptiones, Aristoteles adpellat. 5. *polit.* 1.

10. Interitus Rerumpublicarum plerumque vel ab hostibus, vel aliundè, vi majore obtingunt: cùm scilicet terræmotibus, diluviis, peste variis-

variisq; peccatorum pœnis, vel pereunt, vel affliguntur Civitates, atque Imperia. Ac sanè, aliquandò bestiæ everterunt Regna. *Camerar.2. cap.12. & seq.*

11. In conversione verò, aut perversione, itidem ut in Medica arte, differentia est constituenda, inter causas & symptomata Morborum: suntque illæ curæ palliativæ, si quis accidentia & sequelas tantum, non ipsam scaturiginem causarum, removere velit.

12. Hisque ægritudinibus, ni citò & dextrè medela adhibeatur, in Anarchiam & Tyrannidem, aliosque morbos transeunt mortales. Et certè parva hîc non sunt negligenda; id enim si fit, sensim nos perimus; & vitium vix adparet ante ruinam.

13. Sed magis ad speciem perveniendum, & de causis, quæ particulatim, singulis Rerumpublicarum formis sunt pernitiosæ, est agendum.

14. Monarchas perdit licentia nimia, privati affectus, neglectio publici boni: deinde rerum copia (undè luxuria progeneratur) Amici item improbi (*Mignons* Galli, *Privados* Hispani vocant) &c.

15. Legitimum Regnum (vel etiam Status mixtus) convertitur in Tyrannidem, aut Dominatum, cum Aulico-Politicis (qui plerunque odio prosequuntur libertatem) facilè aurem præbet Princeps: & secus ac olim Spartanorum Rex Theopompus, sibi persuasum habet, tutiùs esse regni firmare potentiam; quàm id modera-

tiùs

tiùs relinquendo, ad posteros stabilius transmittere. 5.*polit.*11. *Plato epist. ad Dionis famil.* Vel cùm Regni Ordines, communisque libertatis custodes, timidi sunt ac imperiti; quòd fit, si sumantur ex infima plebe, aut dependeant à superiori. Mutatur etiam Regnum mixtum, cum Status libertate abutuntur, & Principis Jura legitima, satagunt violare.

16. Principes quidem boni, amant congruam suorum subditorum, inprimis magnarum Urbium libertatem: sed plerique tamen volunt, ut cuncta ab ipsis recognoscantur; nec ita feratur equis Auriga, ut non audiat currus habenas: Quod, cùm in Imperio Romano fuerit neglectum, exindè illud miris modis debilitatum fuit.

17. Et sanè Ordinum licentia nimis magna, quæ haut raro tegitur larva libertatis: ferè tenuioribus est perniciosa. Undè vulgò dici solet: Maximam esse libertatem, vivere sub Principe magno. Et ita etiam qui optant, nimis deprimi potentiam Imperatorum, quid petant, nescire videntur.

18. Aristocratiæ Morbus, est Oligarchia: cùm nempè pauci quidam, cæteris imperant ut servis, cùm eos non putant suos esse concives. Et ideò populus, vel ipse ad se Imperium rapit (ut factum fuit in Helvetiis, & etiam liberis quibusdam Civitatibus Imperii nostri, Da die Ritter Räht abgeschafft worden. *vide Lehman. lib.* 6. *per tot. præsertim cap.* 4. *ut &* 9. *ac* 10.) vel unius potestatem, quàm factionem Ma-

gnatum, potiorum habet, unumque Principem, multis Tyrannis opponit.

19. In Monarchiam vel Tyrannidem, Democratia mutatur; cùm plebs adulationem admittit, nec se decipi sentit: vel unus aliquis, nimiam popularitatis famam affectando, Optimatum deprimit auctoritatem. Quæ artes olim Pisistrati Athenis, & Romæ Julii Cæsaris fuerunt. Eoque intuitu Dionys. Halicarnass. *fol. m.* 577. scribit, ex plebis adulatione, omnem fieri Tyrannum.

20. Democratiæ itidem morbus, est Ocholocratia: impotentia scilicet turbulentæ Plebis, quæ pernitiosissimus interdum fit Tyrannus, & optimos inprimis odit; tandemq; in Anarchiam, aut unius Dominatum abit. Eaque etiam sæpius oritur, post Tyrannidem alicujus depulsam. Quam in rem prudenter, ut omnia, Guicciardinus *lib. 2. histor.* Si qui è Tyrannide sunt elapsi, sese nisi retineantur, in effrænatam licentiam præcipitant; quæ quidem & ipsa, Jure Tyrannis potest appellari. Nam & populus, cum indignis dat, quod adimit dignis, Tyrannus est: & quidem eò pernitiosior, quò periculosior est ignorantia, quæ nec pondus, nec mensuram, nec legem habet; quàm malitia, quæ tamen ipsa aliqua regula, aliquo freno, aliquo termino gubernatur.

21. Suntque *Præsagia ruinarum*, ac conversionum, haut solùm in Natura (Cometæ puta, Prodigia, ostenta, &c.) 4. *Esdr.* 9. *Alexand. ab Alexand.*

xand.2.cap.31.& lib.3. cap.15.Camerar.3.c.14.15.20. Sed & quædam prudentia politica deprehendit: quando nimirum res privatæ magis; quàm publicatæ amantur; si reputatio fastu definitur, & interna negligitur magnitudo; quando pauperum oppressio, rerum pretia, & prodiga luxuria, ad summum pervenere: quando deficiunt duo vincula civilis conversationis, Justitia & charitas nimirum, &c. *Camerar.1.c.56. Ego dissert. de Repub. caranda, cap.15. latè.* Horum verò politicorum præsagiorum, sanè vel præcipuum esse reputatur, si quando tanta securitas hominum mentes obsedit, & occœcavit, ut signa atque omnia appropinquantis cladis, in cœlo, terrave, ac in communi quoque vita, Reipublicæque statu, obvia quæ sunt tristia, ambigua, manifesta, nemo curat, vel advertit; sed securè spernit pars major: aut cum publicæ calamitates non sentiuntur amplius vel metuuntur. Hincque Tacitus *lib.1.histor.* ait: quæ Fato manent, quamvis significata non vitantur. Et Ammianus Marcellinus *lib.14.* Manum injectantibus Fatis, hebetantur sensus hominis, & obtunduntur.

Nemo sed id reputat, nemo etiam resipit;
Sic ante ire solent tristes præsagia casus,
Frustra, dum tantæ nemo rei satagit.

22. *Rempublicam emendare*, difficillimum idque non consistit in potestate humana; ergò ante omnia D e u s est placandus supplicationibus putà, Jejuniis, seriaque vitæ emendatione.

*Esa.*1.*vers.*10.16.19. *Malach.*3.*vers.*10. *Zachar.* 7.*vers.*6.9. *& cap.*8.*vers.*16.*cap.*10.*à princ.Hagg&ae;.*2. *vers.*18. *&c.* Quod & olim Romani, omnesque alii ferè populi agnoverunt, licet DEUM verum ignorarint.

23. Circa Tyrannidis Medicinam, variè disputatur. Sed hoc carere videtur dubitatione; quod ubi Princeps mediatus, subditos premit, ii confugere queant ad superiorem. Ita Cæsar vel Camera adiri solet, si aliquis Status Imperii, subditos suos nimium gravet. *Petr. Frider.*1. *de process. cap.*13. *sect.*4.*&* 11. *Moditius* §. *Magistratus, quæst.*5. *Paurmeister.* 1. *de jurisdict. cap. ult. num.*13. Nec Principem ipsum, subditos rebelles declarare posse videtur. *l.*10. *de jurisdict. & t. t. C. ne quis in sua causa, Coler. consil.*1. *Menoch.consil.*403.*à princ.Illustr. Acad. Ingolstad. in tom.* 1. *Consil. var.consil.*1. *num.*46.*&c.* Sed superior est adeundus. Nec ferè alia ratione, Imperator favorem, auctoritatemque suam, meliùs, rectiùs conservare potest; quàm si subditos mediatos, à suis Dominis, præter jus, fasque, haut gravari sinat.

24. At ubi Princeps extra Rempublicam, superiore quidem caret; in ipsa tamen Republica, vel Ephoros, vel leges Fundamentales habet; in Ordinum potestate situm est providere, ne Respublica, licentia Principis capiat detrimentum. *Mariana* 1.*instit. Princip.*8.*Reinking. class.*1.*lib.* 1.*cap.*3.*nu.*40. Aliàs enim frustrà, vel Leges vel Ephori constituerentur; si eo destituerentur effectu.

fectu. Ac ita in Imperio Germanico-Romano, olim Henricus IV. *Lehman.* 5.*cap.*27.32.33.39. Nassovius Adolphus. *Lehman. d.lib.* 5. *cap.*119. ac quoque Wenceslaus. *Lehman. ult. cap.* 59. *ac* 72. depositi fuerunt.

25. In plenario verò Regno, nunquam resistitur Regi, vi Jurisdictionis: licet defensionem (sed multis modis moderatam) plerique concedant; quæ omnino differt à deturbatione. *Vernulejus* 1.*pol. ult. quæst.*3. *& seqq.* Romani tamen ulterius sunt progressi. Sicq; Nero Claudius Cæsar, hostis à Senatu judicatus, & ut more majorum pûniretur, quæsitus fuit. *Sueton.cap.*40. Sic Commodo pugionem Senatus misit, & de eo acclamationes Senatus fuerunt: hosti Patriæ honores detrahantur, parricida trahatur. *Lamprid.* de Maximinis: Hostis publici caput in profluentem abjiciatur, corpus ejus nemo sepeliat. Qui Senatui mortem, & vincula minatus est, ut debebat, interemptus, &c. *Capitolin.* Et de iisdem *in Gordian.Seniore. fol.m.* 236. scribit *idem* Capitolin. Usus est Senatus ea potestate, qua debuit. De Heliogabalo Lamprid. Statuarum ejus titulos, luto tegerunt, ut fieri solet Tyrannis. Quod an fuerit justè factum? dispiciant prudentiores.

26. In successorio Regno, etiam Agnatis & primogenito, Jus aliquod Regis corrigendi tribuunt nonnulli. Johan. de terra Rubea *fol.m.*102. *usque* 126. Aliquando primogenitus summam rerum habet: sed ex Patris voluntate, consiliorum

participes, ex Lege debent esse fratres: qui mos inter Austriæ Principes, solemnis olim erat. *Gerard. de Roo fol.* 112. Quidam itidem dicunt, vicino incumbere, subditos Tyrannidè oppressos, liberare. 5. *polit.* 9. Ac saltem per interpositionem vicini, Pax commodissimè inter Principes & subditos conciliatur. Quodque Princeps, inter Regem vicinum, ejusque subditos, magis pacem quærere, quàm ex illa rebellione commodum debeat captare, docet exemplum Emanuelis, Lusitaniæ Regis, tempore motuum Hispanicorum contra Carolum V. concitatorum: apud Hieronymum Osorium *in histor. vide Forster. in hypomnes. num.* 76. *& me de Appellat. cap.* 2. §. 14.

27. At in motibus contra Regem, etiam ex causa per se justa, concitandis, cautè omninò est procedendum. Hicque sæpè periculosa magis est talis medicina, quàm morbus ipse: Posteriores confusiones, prioribus oppressionibus sunt pejores. *Lehman.* 5. *cap.* 6. *fol.* 519. Nec rarò, qui libertatem prætexunt, Imperium sibi quærunt, ut jam monui suprà.

28. Rex à Magnatibus sui Status non opprimetur; si quæ sui contemptum pariunt, vitaverit; effeceritque, ne Vasallorum & officialium potentia nimis crescat: vel si talis sit, ut ea commodis rationibus diminuatur. Quod maximè tum fiet; si vasallorum subditis consulatur; & superiori Domino magis quàm immediato ut adhæreant, si procuretur. *Fulv. Paciani. tract. del*

arte

arte di governare, fol. 197. *Froissart.* 2. *cap.* 89.

29. At optima turbarum, quæ à populo concitantur, prophylactica videtur Medicina; clementer & justè imperare, ac *tenere i popoli bassi* (ut supra retuli ex Boccalino) & removere, ac vitare motuum caussas; oppressiones puta, ac non necessarias exactiones, &c.

30. Seditio verò, vel rebellio jam concitata, in herba statim est opprimenda: ac quidem rigidiori severitate, si nulla causa probabilis subsit; mitius verò tunc erit agendum, si adsint prætextus non planè nulli.

31. Popularis Status contra unum conservatur; si nulli nimia, aut longior potestas in Magistratu detur. Non tamen semel, qui dati honores sunt, simul omnes posteà auferre oportet; sed paulatim. Quod monitum negligens præstantissimus Cato, Cæsaris potentiam frangere non potuit. Græcanicæ etiam Reipublicæ, adversus novitatis studium, Ostracismo sunt usæ; isque non omni prorsus caret ratione: si nempè haut virtutem puniat veram; sed vitiosam ambitionem, sub virtutis schemate latentem. *Æmilius Probus in fine Miltiad. Ærod.* 6. *rerum judic. tom.* 8. *cap.* 21. *Piccart. decis.* 3. *cap.* 9. *Paruta* 2. *discurs. ult.*

32. Itidem in libera Republica, qui Imperium invadit, est à quocunque occidi posse ajunt. *Petr. Gregor.* 26. *de Republ. cap.* 7. *Bodin.* 1. *cap.* 5. *Arnisæ, de jure Principis semper inviolabili, cap.* 14. *num.* 14. *&c.* Cùm nulla hîc legitima

O 4 potestas,

potestas, nulla dominatio justa esse videatur: sicque faciunt differentiam inter Tyrannum juris, & eum, qui talis est solum administratione. Et ideò Julius Cæsar, ex sententia quamplurimorum, justè interemptus fuit. At hîc etiam, res non caret difficultate: ac Cæsaris parricidæ, infelicem omnes exitum habuerunt. Et res ideò talis, difficillimam, supraque meum captum, habet decisionem.

33. Ex Optimatibus si aliqui contra Rempublicam conspirent, tum reliqui Optimates resistere possunt: qui si non sufficiant, vel omnes simul degenerarint; populus contra illos, peragere potest ea, quæ in Monarchia contra Tyrannum. *Pet. Gregor. 4. de Repub. cap. 5.*

His autem, similibusque meditationibus non est, quod contenti simus; sed necessè omninò videtur ut [1.] *experientia quoque adsit. Aliam namque faciem Respublica habet, cùm propiùs ad hanc, vel illam accedimus, quàm quæ in libris apparet: & ad discursum solum, historiarumque politicum intellectum, ejusmodi præcepta conducunt. Ac quantum à terra cælum, tantùm à practica politica, theorica (præceptis ac regulis contenta) distat.* Boccalin. 1. ragg. 29. *Sicque requiritur etiam* [2.] *cognitio particularis Reipublicæ illius, in qua nobis est vivendum, vel tractandum: pariter ut Medico, non sufficit de febribus multa legisse, multorumque febricitantium historias perlustrasse; sed necesse insuper est, ut in individuo,*

hunc

hunc vel illum ægrum curare sciat: ad quod sanè opus est penitiori disquisitione omniumque circumstantiarum consideratione accurata. Cumprimis autem [3.] *Pietas necessaria erit, & quæ hanc sequitur, virgula, seu Manuductio Divina. Unde etiam olim Socrates*, apud Xenophont. *sine Divinatione, nullam Rempublicam consistere posse, putavit. Sicque Ethnici, Oracula; Hebræi ac etiam prisci Christiani. varias Divinas revelationes habuerunt. Et Aristot.* lib. de Mundo, *scribit: Veterem sermonem esse, à majoribusque proditum inter omnes homines universa tam ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque naturam, satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demùm tutelæ permissa sit.*

2. *Et sic brevissimis hisce propositionibus, adumbravi speciem, ac formam aliquam Politicæ Doctrinæ. Idque feci sine omni studio partium, aut factionum: & quidem in gratiam Juniorum. Qui vicissim tenuibus hisce principiis, haut debent esse contenti, sed solidum, integrumque amplissimæ hujus artis absolvere Corpus, cujus quasi primæ lineæ solùm, hîc ductæ conspiciuntur. Cuncta verò, Ecclesiæ Catholicæ judicio censuræque lubentissimè committo; cui etiam, ut & bonis moribus ac Reipublicæ tranquillitati si quid contrarium, vel hîc, vel alibi à me scriptum, vulgatumque anteà fuit, illud non dictum, & nunc revocatum volo.*

A. T. S. T. C. T. C.

FINIS.

Elenchus Capitum.

SYNOPSEOS DOCTRINÆ POLITICÆ

præcognita.

LIBRI PRIMI,

Partis prioris.

Quæ de Imperantibus agit.

PARTIS SECVNDÆ

Libri Primi.

De subjectione tractantis.

Cap.

PAR-

PARTIS SECVNDÆ

LIBRI SECUNDI.

De Conservatione, & Administratione Civitatis, respectu exterorum. 266.

LIBRI TERTII
Politicorum.

De Incrementis Imperiorum.

LIBRI QVARTI
& ultimi.

De Morbis Rerumpubl. earumque Causis, Præsagiis, Curatione, &c.

FINIS ELENCHI.

[illegible]

[illegible]